eruditos præſtiterunt; veros autem pietatis magiſtros eos eſſe, qui in cordis ſui penetralibus ſcientiæ Sanctorum ſtudebant, quæ non percipitur ex libris, neque in ſcholis; ambulantibus nobis in tenebris, uti ambulamus, omnia aſſerta lumina noſtra erronea eſſe poſſe; fruſtra nos in Scripturis, & Sanctis Patribus expiſcari, quoniam ſpiritus humanus veneno inficere poteſt fontes, qui ex ſe puriſſimi ſunt; & tandem compertam, exploratam ſanctitatem Interpretis Evangelici pluris eſſe faciendam uberrima eruditione doctoris profani. Hæc ſecum reputans S. Thomas, & coram Deo ſe humilians adquirebat cognitionem eorum myſteriorum, quæ Deus ſuperbis quidem abſcondit, humilibus vero revelavit. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

S. Thomas omnes hæreſes interemit.

Admirabilis Doctor D. Thomas accerrimus fuit hæreticorum inimicus; & dici poteſt, profligaſſe hæreſes omnes, & antiquas, & illas quæ ævo ipſius obortæ ſunt, & illas, quæ poſt illius obitum inſurrexerunt. Ubi de Incarnatione loquitur, omnes explanat difficultates, quæ myſterii illius complemento adverſari videntur, omneſque diluit objectiones, quas Philoſophi huic amoris myſterio oppoſuere, ſimulque omnes Neſtorianorum atque Eutychianorum errores evertit, novaſque rationes invenit, quæ neque S. Cyrillo, neque S. Leoni occurrerant. Ubi agit de peccato Adam, & J. C. gratia, Pelagianos armis exuit, & adeo palam oſtendit humanæ mentis errores, nequitiam voluntatis, affectuum rebellionem, & ſenſuum infidelitatem, ut hæretici illi confiteri teneantur, ſicuti ratio cæca eſt, quæ nihil videre poteſt ſine lumine fidei; voluntatem eſſe ſummam impotentiam, quæ nihil ſupra naturam efficere poteſt, ſine gratiæ ſubſidio. Cum ſcripſit de Euchariſtia, omnia illius penetravit ſecreta, omnes explanavit dubitationes, omnes reſolvit difficultates, quas eorum altitudo pepererat; Diſſipat Berengarium cum omnibus ſectatoribus ejus, & de hoc ſacramento tanto cum lumine, & amore diſputat, ut nequaquam difficile ſit illum ejus intelligentiam vel ex S. Joanne vel ex S. Petro ſumpſiſſe. Facile igitur videre eſt ex divinis ſcriptis hujus Doctoris, hunc evertiſſe, atque diſſipaſſe omnia Hæreticorum, qui eum præceſſerunt, Sophiſmata, & eorum, qui ejus ævo vivebant; at etiam videri poteſt per quamdam vaticinii ſpeciem, detexiſſe, & confudiſſe fallaciam hæreſum, quæ poſt illum obortæ ſunt, antequam prodirent, quod adeo certum eſt, ut Synodi Tridentinæ Patres contra Lutherum, & Calvinum non aliis fere argumentis uſi ſunt, quam quibus ille in anteceſſum attulerat ad cohibendam eorum impietatem, atque blaſphemiam, & ad futuris eorum objectionibus reſpondendum.

Compendium virtutum S. Thomæ.

Enumeratio virtutum, ac mirabilium Sancti hujus Doctoris eſſet infinita. Vita illius non aliud eſt quam perennis miraculorum ſeries; & hoc præclariſſimum eſt, quod longe plurima complectitur ex ſententia Summorum Pontificum, quod unus homo potuerit intra annos viginti docere cum inaudita nominis celebritate in celeberrimis Europæ univerſitatibus; Sermonibus ſuis inſignem peccatorum, ac infidelium numerum convertere: admirabilem hanc doctiſſimorum operum copiam, quæ vocari poteſt Religionis theſaurus, explicare tanta cum perſpicuitate, ac ſoliditate, Theologiæ Myſteria docere tanta cum unctione & facilitate, Ethicæ diſciplinæ veritates, eruditis commentariis Sacræ Scripturæ libros tanta claritate exponere; perfecte ſatisfacere omnibus dubitationibus, quæ undique illi tamquam Oraculo univerſali proponebantur: & nihilo ſecius ſingulis diebus plures horas impendere orationi, perquam raro ſe a vulgaribus Communitatis officiis ſe diſpenſare; macerare carnem ſuam auſteriſſimæ pœnitentiæ rigoribus, quamvis affecta eſſet valetudine. Talis fuit vita admirabilis hujus Doctoris, quæ eſſe poteſt exemplo non ſolum Religioſis omnibus Ordinis ſui, ſed illis etiam Ordinum omnium, omnibuſque eruditis viris ſtatuum omnium, & omnium conditionum. *P. Croiſet in Aſceticis exercitat.*

Sancti hujus pietas par illius ſcientiæ.

Metuendi locus eſt illis, qui jage ſtudium profitentur, qui perſpicacia, ac ſcientia præditi ſunt, ne tantum in pietate, quantum in ſcientia, & eruditione proficiant. Si enim ſcientia eſt pietati par, & utraque trutina in eadem æque appendant, timendus eſt ne hic ſitus multum ſit duraturus: vulgo enim uſuvenit, ut ſcientia, quæ in humilitatis cuſtodia non eſt, jugulet pietatem. Comparari poteſt ſalutari plantæ, quæ tamen ad pietatis umbram poſita eſſe debet; ex quo enim pietas non dominatur illi, tunc ſcientia eſt pernicioſa: *Si magnitudine ſua præcedit ſcientia magnitudinem caritatis; non ædificat, ſed inflat.* (*Aug. comment.* 17. *in Pſ.*) Incredibile eſt quanta celeritate illam vanitas impellat. S. Thomas hæc omnia pericula noverat: ſciebat, intrinſecus omnia vanitati favere, extrinſecus omnia illi plaudere, pietatem e contra ſecretos, & publicos habere inimicos: minus, quam ſcientiam eniteſcere, quia minus fulgoris habet, minus quam ſcientiam celebrari, quia minorem habet uſum in Mundo, minus ſpectabilem eſſe, quam eruditionem, quæ ubique laudatur. Cavit ergo ſibi Sanctus hic Doctor a generali impreſſione, decernens omnia pietati eſſe deferenda, eique ſcientiam eſſe tamquam ancillam Dominæ ſubjiciendam. Amicos delegit ſibi eos, qui humilitate præſtabant, raro loquebatur de ſcientia, & de iis, ex quibus acceſſio eidem fieri poterat. Nullo in diſcrimine habuit eruditi viri famam, de hominum exiſtimatione non laboravit, ſcire neglexit, qualis in aliorum ſpiritibus haberetur, dummodo in Spiritu Dei bene audiret. *Auctor recent.*

Mortificatio S. Doctoris.

Corporis, & cordis mortificatio longius proferri non poteſt, quam illam S. Thomas protulerit. Dictus fuit natus fuiſſe abſque affectionibus, has adeo ſubegerat. Suavitas ejus, vocis tonus, vultus ſerenitas ſemper immutabiles fuerunt; & per jugem carnis macerationem fere ſenſuum uſum amiſerat.

Puritas ejus.

Licet peculiari Dei beneficio puritatis dono auctus eſſet, tamen nihil neglexit eorum omnium, quæ conferre aliquid poſſunt ad mollem hanc virtutem tuendam. Nunquam in muliebrem vultum oculos fixit; & toto vitæ ſuæ ſpatio quælibet colloquiorum cum mulieribus genera evitavit. Ad altare non accedebat, quin illud lacrimis ſuis irrigaret. Ardor amoris in faciem ejus prodibat.

Devotio erga Sanctiſſimum Sacramentum.

S. P. Urbani IV. juſſu Sanctiſſimi Sacramenti Officium compoſuit, cum ea cordis effuſione, quæ in omnibus, & ſingulis verbis deprehenditur; & Sanctus iſte Doctor non parum contulit, ut inſtitueretur in univerſa Eccleſia Sollemnis feſtivitas, & in Fidelium corde amor, & reverentia erga J. C. in altaribus noſtris manentem magis accenderetur.

Tenera illius erga B. Virginem devotio.

Ejus confidentia, ac amor erga Deiparam ex parte conſtituerunt characterem Sancti hujus ab incunabulis, & illi promeruerunt eximiam dignitatem Amici illius. Beata Virgo non ſemel in ejus vita viſibiliter apparuit; & paucis etiam ante mortem diebus ille teſtatus eſt, nihil unquam ſe a Deo petiiſſe per Sanctiſſimæ Virg. interceſſionem, quod aſſecutus non fuerit. *P. Croiſ. in Aſcetic. Exercit.*

Ejus humilitas profunda.

Humilitas virtutum omnium fundamentum eſt, & omne ædificium, quod non huic lapidi innititur, ruit neceſſario. Virtus hæc eo magis eruditis eſt neceſſaria, quo magis indiget æquipondio contra motus ſuperbiæ, quos ſcientia, ut plurimum, ciet. Quis unquam S. Doctore noſtro humilior? Conjicite ex diuturno ſilentio, quod tandiu tenuit in Scholis, ubi ſibi conciliare valens admirationem, oſtentans ſcientiam hanc admirabilem, quam deinceps celare non potuit, adeo raro loquebatur, ut condiſcipuli ejus Bovis agnomen illi appoſuerint, quod occaſionem præbuit dicendi futurum ut Bovis hujus mugitus in univerſo terrarum orbe reſonarent. Si ſerio ad examen vocatur locus iſte ex vita Doctoris noſtri, facile erit judicium ferre de gradu virtutis ejus ex menſura humilitatis ejuſdem. Et profecto ſi facile adquieſcimus exiſtimationi adeo bene conſtitutæ ut novis non egeamus teſtibus; ſi ſilemus haud ægre coram illis, qui ſciunt, a nobis tantum pondere loqui cum audientium approbatione: ſilentium, quod in his occaſionibus ſervamus, eo glorioſius eſt, quod relinquit imaginationi libertatem augendi ea, quæ dicere poſſemus, & hæc modeſtiæ ſpecies, quæ exploratum meritum comitatur, eſt velut umbra, quæ illius nitorem, imaginemque commendat. Sed in ſe cognoſcere magnum ſcientiæ fundum, & mentem ad inſignem ſibi nominis famam conciliandam, & in vulgi turba animo tranquillo tacere; hic non poteſt eſſe niſi effectus animæ magnæ, & abſolutiſſimæ humilitatis. Hujuſmodi illa eſt noſtri Sancti Doctoris in vitæ ejus decurſu. Fuit ille tamquam Magiſter Univerſitatum, ubi deciſiones non niſi ſecundum ejuſdem ſenſum fiebant; ab omnibus generatim habebatur in pretio. Erat ex eo Ordine, ex quo Epiſcopi, Patriarchæ, Cardinales, & Summi Pontifices eligebantur: Sed nunquam ſibimet complacuiſſe, quod ſemidoctis uſitatiſſimum eſt, & nunquam animum inducere potuiſſe, ut vel minimam Eccleſiæ dignitatem reciperet, quomodonam appellari hæc modeſtia poteſt, niſi humilitatis prodigium? Sanctus hic vir ægre Doctoris gradum excepit, ille qui erat ſæculi ſui Magiſter. Hoc ſecretum eſt, & humilitatis, & ſanctæ ambitionis D. Thomæ, nullam unquam gloriam quæſiviſſe quam illam J. C. ſerviendi, illi placendi, & ſumma cum integritate Eccleſiæ bonum procurandi. *Ex ſpecimine Orationum Panegyricarum, & ex P. Texier.*

Ejuſdem argumenti.

Gentilium Apoſtolus palam nobis oſtendit periculum, quod eſt in humanis profaniſque ſcientiis, cum nobis dicit, ſcientiam inflare; ſed ubi profundiſſima humilitas cum ſublimiſſima conjungitur eruditione, quam homo in hac vita poſſit adquirere, hæc vera Sanctorum ſcientia poteſt appellari. Quam raro conſenſus hic invenitur! Quam difficilis eſt? ſed quam glorioſum humili, & Doctiſſimo Thomæ eſt exhibuiſſe hoc portentum in ſe ipſo, tamquam in abſolutiſſimo exemplari, eo uſque ut in tanta celebritate, ac plauſu, quem illi ſcripta ſua comparaverant, Deo gratias egerit ſub finem vitæ ſuæ, quod nullo unquam inanis gloriæ ſenſu commotus fuerit, cujus ſe reum eſſe exiſtimaret. Ecce quid vocari poſſit non ſolum Scientia Sancti, ſed effectus, & miraculum Sanctitatis in ſpiritu viri docti; potuiſſe ſe ipſum tueri contra juges impetus hoſtis adeo ſubtilis, conſociaſſe ſcientiam adeo extenſam, illuſtratam, & ſublimem, cum profundiſſima humilitate; ſe ſe infra omnes homines demiſiſſe, licet ſupra omnes eminenti eruditione ſua conſurrexiſſet, quaſi ſubtilitas cognitionum ejus fuiſſet menſura humilitatis illius. Quod de ſe humiliter ſentiebat, ideo conſtanter reſpuit altiſſimas Eccleſiæ dignitates, velut Neapolitanum Archiepiſcopatum, & alias id genus, quas tanta cura fugiebat, quanto ardore alii eas ambiunt, & aucupantur: Nunquam animum inducere potuit, ut Doctoris gradum exciperet; & opus fuit, ut Superiores pro jure agerent, & obedientiæ titulo illum adigerent, cum ille non poſſet omnibus eorum rationibus ſeſe dare, neque de meritis ſuis ſibi perſuadere. Hinc viſus eſt ad infima uſque domus miniſteria ſe abjicere: modo libros & maximas occupationes ſuas deferere, ut ſocii munere fungeretur cuidam e fratribus ſuis, qui minime cognoſcens illum, magni hujus Viri patientiam, & humilitatem exercebat. Viſus eſt medio

dio in Sermone, quem neſcio qua publica in ſollemnitate habebat, illico ſilere, & de ſuggeſtu deſcendere ad vocem imprudentis, qui ſine ulla auctoritate ipſi ſilentium indixit, tantam auditoribus ſuis hujus humilitatis ciens admirationem, quantam ſua eloquentia exciverat. Ita ſecutus eſt regulam, quam ipſe propoſuerat, metiendi gradum perfectionis eorum, qui virtutem exercent, ex eorum humilitatis profunditate. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Contra nos qui præſumunt in ſcientia ſua, & Doctoris auram captant.

Hæc ſunt prodigia, quæ placuit Deo in magno hoc Sancto oſtendere, in ejus perſona conjungendo ſcientiam eminentem cum profunda humilitate: quæ duo perquam raro in uno eodemque viro inveniuntur. Quod ad nos ſpectat, nonne tam abſumus a Sancti hujus humilitate, quantum ab illius ſcientia, & doctrina; quandoquidem ne minimam quidem prærogativam poſſidere poſſumus, quo minus infletur ſpiritus noſter, & pro vera magnitudine accipiamus, & merito ſupereminente id, quod re ipſa non aliud eſt, quam intumeſcentia, & vanitas? Hic temporis genius eſt: ubi in duabus, vel tribus occaſionibus niteſcere nobis contigit ingenii gloria, cum ſtatim occaſiones inquiramus, oſtentandi quantum valeamus. Volumus hoc omnibus apertum eſſe, & ſæpe per vaniſſimam omnium vanitatum repetimus elogia, & plauſus, qui tribuuntur nobis; & credimus noſmet laudare poſſe, ubi nos ab aliis laudari audivimus. Extant ad hanc quoque diem eruditi, nemo inficiari poteſt, ſed plerumque quia ſe ipſos nimis oſtentant: ſtatim dominationis ſpeciem exercent in litterarum imperio eo uſque, ut inimicos ſibi putent eos, qui cæce ſententiam ipſorum non amplectuntur. Hoc ſemper fecit, ut id ſcientiæ fœdus cum humilitate Chriſtiana tamquam prodigium haberetur, quod nonniſi in Sanctis reperitur, vel potius, quod Sanctitas una producere poteſt. Nam ſicut inter homines adeſt ars nitendi, efficiendique ut inter ceteros aliquis emicet, & hæc ars unum eſt ex primis mundi elementis, ut cum Apoſtolo loquar: *Secundum elementa mundi;* adeſt quoque ars latendi, quam ſcientiam Sanctorum appellavimus, & quam admirabilis Doctor noſter peculiari modo poſſedit; quia ſi alii artem invenerunt celandi talenta ſua in oculis mundi; Sanctus hic, qui ſua celare non poterat, quia vellet, nollet, effulgebant, artem nactus eſt illa propriis oculis auferendi humilitate, quæ æque profunda erat, ac ſublimis erat ejus ſcientia. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Cur dederit Deus D. Thomã ordini S. Dominici, & in quo nobis eſſe poſſit exemplo.

Cum divina Providentia S. Thomam dedit Eccleſiæ, oſtendere voluit, quid ſcientia & ſanctitas ſimul conjunctæ efficere poſſint in Sancto; ſed cum dedit illum ordini S. Dominici, Deus proponere nobis voluit prototypum Religioſorum ordinis S. Dominici, quorum character eſt ſcientiam cum ſanctitate conjungere, & ſicuti Deus nihil unquam deſtinat ad aliquem finem, quin illi præbeat adminicula, per quæ illuc pervenire poſſit, mirum non debet eſſe, ſi dedit huic ordini tot doctos, ſanctoſque viros, quorum zelus illuſtratus, & ſcientia Sanctitate animata, hæreſim Albigenſium extinxit, Religionem in Gallia, Hiſpania, Italia, Polonia propagavit, & qui ſatis non eſſe ratus illam in veteri mundo tueri, eamdem in novum uſque mundum invexit: ita ut Europa, Aſia, & Africa viderint lumina ſcientiæ ordinis illius, & expertæ fuerint ardorem zeli ſui per converſionem infinitarum animarum ad Deum; & donec ille vigebit, Eccleſiæ nunquam defuturi ſint eruditi, qui eamdem illuminent, vel Sancti qui illam ædificent exemplo vitæ, quemadmodum fecit admirabilis S. Thomas, ad cujus abſolutiſſimum elogium nihil deerat, niſi quod doctrinam illius ſervaremus, ejuſque ſanctitatem admiraremur. Hæc illa duo ſunt, quæ a Deo petit Eccleſia in oratione, quam illi dirigit. Ut ex hoc ſermone proficiamus aliquid, diſcamus, ſatis non eſſe habere ſcientiæ lumina, ſi non habemus caritatis ardorem; ſicut enim utraque ſimul admirabilis eſt prærogativa; ita ſcientia ſola erit noſtræ damnationis cauſſa, quia cum melius quam ceteri intellexerimus, cum nobis bonum eſſet faciendum, illud facere neglexerimus. Verum ſi qui alios erudierunt ad juſtitiam, videlicet ad perfectionem, fulgere debent in cælo tamquam micantia ſydera, ſecundum Salvatoris promiſſionem: quænam erit eorum gloria, qui ad S. Thomæ exemplum labores, ſcientiamque ſuam in glorioſum hoc opus inſumpſerint? Quod ſi minus omnes non poſſunt ad hunc ſublimem ſcientiæ, & cognitionum gradum pervenire, quo S. hic Doctor evaſit; ſaltem omnes poſſunt, & debent virtutes, & Sanctitatem illius imitari pro captu ingenii, quod ſingulis impertire divinæ placuit Providentiæ. *Idem.*

PRO SANCTÆ MONICÆ PANEGYRICO.

M O N I T U M.

Finis, & ſcopus, quem Concionator ſibi proponere debet in Sanctæ Monicæ Elogio, eſt præbere prototypum ſanctiſſimæ feminæ divina Providentia in matrimonio conſtitutæ, quæ ſe ipſam in hoc ſtatu ſanctificat obeundo ſua munera tum erga illum, quem ipſi Deus conjugem dedit, cum erga filios, qui ſunt conjugii ſui benedictio.

Character hic Sanctitatis, qui hodierna die adeo infrequens eſt in Chriſtianis familiis, primum eſt Dei conſilium. In inſtitutione Sacramenti, quod Apoſtolus Magnum antonomaſtice appellat, & quod inſtitutum eſt ad filios Eccleſiæ procreandos, & cælum incolis replendum, ita ut conferre huic naturalis, ac ſupernaturalis Providentiæ conſilio, obeundis muneribus illis, quæ huic ſtatui inhærent, ſit proculdubio via, quam indigitavit conjugibus Providentia, ut ad non communem perveniant Sanctitatem in ſtatu vitæ, quæ ceterarum eſt communiſſima, ſicuti Sancta Monica præſtitit: Ubi animadvertendum eſt.

1. *Licet plures piæ feminæ ſeſe commendabiles præbuerint iiſdem muneribus perfungendis, & ſeipſas ante, & poſt illam ſanctificaverint: non deeſſe tamen facta, & circumſtantias in Sanctæ Monicæ vita, quæ illi locum præbuerunt exercendi adeo nobiles virtutes, ut hæ efficere valeant argumentum Elogii maxime proprii, & omnino ſingularis.*

2. *Cum præcipuum objectum curarum, atque laborum Sanctæ Monicæ, reſpiciat converſionem S. Auguſtini filii ipſius, qui eos nobis deſcriptos reliquit in Confeſſionibus ſuis, facere non poſſumus, quominus hoc in elogio attingamus flagitia filii, quæ fuere cauſſa lacrimarum, precum, & patientiæ matris, & verba faciamus de hujus filii ſanctitate, & de ejuſdem meritis erga Eccleſiam; quæ non minima pars eſt gloriæ Sanctæ hujus Mulieris.*

PARAGRAPHUS PRIMUS

Multiplex Synopſis Sermonum hujus Argumenti.

Mulier, cum parit, triſtitiam habet; cum autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ, quia venit homo in mundum. Joann. 16.

I. NOn equidem ut aliquid meriti, aut virtutis auferam admirabili Sanctæ Monicæ, eos mihi cancellos circumdedi, ut loquerer tantum de curis atque ſollicitudinibus, quibus agitata fuit, ut filium ſuum ab errore revocaret. S. Paulus, qui docet Deum ſalvare velle mulierem per filios, quos edit in lucem, ſcilicet per curam, quam gerit inſtitutionis eorum, ſimul docet etiam illam ſalvam fieri, tribuendo illis modum ſalutem ſuam operandi: *Salvabitur per generationem filiorum.* (1. *ad Tim.* 21.) Et ſane hoc unum officium, quod Deus ab illa petit, & quod unum ex graviſſimis illius muneribus eſt; hoc unum inquam tot alia continet, & adeo ſublimes virtutes complectitur, & conjunctum eſt cum tanto amore, patientia, & adeo perfecta obedientia voluntatibus Dei, ut ſine metu dici poſſit, illam adimplere officium ſuum eadem cum perfectione, quam præſcribit Apoſtolus, quæ validiſſima ratio eſt perveniendi ad ſublimiorem Sanctitatem ſtatus conjugalis, quem ille ipſe voluit ſanctificare. Non ideo tamen exiſtimandum eſt alios defuiſſe locos, propter quos Sancta Noſtra Deo fuerit jucundiſſima, & S. Auguſtinus ipſe, qui nobis veluti in Tabula virtutes ejus deſcripſit, ſatis loquitur, ut inde fieri valeat abſolutiſſimus mulieris conjugio vinctæ prototypus, quæ per ſubmiſſionem, patientiam, & lenitatem ſuam Deo lucrata eſt virum ſuum, ex infideli Chriſtianum efficiens. Mox illam exhibuit tanquam perfectum exemplar Sanctæ Viduæ, orationi, boniſque operibus intentæ, mortuæ mundo, & vanitatibus ſæculi, in uno Deo omnem ſpem ſuam collocantis, ac talis denique, qualem S. Paulus illam primus per hæc verba delineavit: *Quæ vero vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus die ac nocte:* (1. *ad Tim.* 5.) vel ſi vultis: Filius hic in matre ſua nobis propoſuit veram imaginem mulieris fortis, de qua loquitur Sapiens, qui illam nobis oſtendit in regimine familiæ ſuæ occupatam, omnia, tempus, labores, eleemoſynas diſtribuentem; curas ſuas rebus omnibus impertientem, & domum ſuam convertentem in domum ordinis, pietatis, œconomiæ, & caritatis. Sed Sanctus hic prolixius ſe extendit, & in Confeſſionibus ſuis majori cum animi grati ſenſu loquitur de cura, quam mater ſua geſſit de ipſius educatione, de amaro dolore, quo conficiebatur propter ejuſdem flagitia, & de eo, quod illi perferendum fuit, ut filium in vias ſalutis reduceret, a quibus impudicitia illum mirum in modum abduxerat. Itaque in eo quod mihi propoſui argumento, totum videlicet Sanctæ Monicæ elogium comprehendendi in conquiſitione, & converſione

ne filii ſui, qui fuit eximia Sanctitate vir, & firmiſſimum Eccleſiæ ſubſidium, nihil æquius, ac magis ſimplex inveni, quam hæc triſtitiæ, & gaudii, doloris, & conſolationis viciſſitudo expreſſa in his verbis, & in hac Evangelica ſimilitudine: *Mulier cum parit &c.* Secundo peperit cum dolore filium ſuum obtinens lacrimis, precibus, & ſuſpiriis illius converſionem a Deo, ita ut

1. Se ipſam ſanctificavit per eas artes, quibus conata eſt ex filio ſuo Sanctum inſignem efficere; quod in priori parte videbimus.

2. Hic idem filius, filius doloris ſui, & lacrimarum fuit illius gaudium, & gloria, per eam, quam ille Deo procuravit, & Eccleſiæ in illius Converſione. Hæc erit Sermonis partitio.

II. *Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt; vir ejus, & laudavit eam*, Prov. 31. Ex his verbis numquid non agnoſcitis admirabilem S. Monicam? Cum illam pronuncio, ejus character non ne in mentibus veſtris deſcribitur? Dominus, in cujus manu ſunt hominum fata, illam conjugio implicuit. Virum habuit, & filium; quomodonam perfuncta eſt munere ſuo, erga utrumque? uterque ex æquo gloriæ ipſius aliud contulerunt, non ſolum per teſtimonium, quod illius virtuti perhibuerunt, ſed multo magis propter virtutes, quas ipſi in illa coluerunt. Novit illa eorum laudes promereri, & viciſſim novit eos dignos præbere laudibus aliorum: *Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt, vir ejus, & laudavit eam.* Præclara, ac ſolida argumenta meritorum S. Monicæ: quis enim erat iſte vir, quis iſte filius? Numquid nullius erat negotii illum ſatisfacere, vel illos ſanctificare? Alter quidem ita moroſus homo erat, ut in ſanctiſſimis etiam actionibus aliquid objiciendum inveniret: alter vero ingenium habebat adeo perſpicax, quem ideo ne minima quidem labes fallere potuiſſet. Uterque iis erant impliciti erroribus, ac vitiis, a quibus nequaquam fieri poſſe videbatur, ut avocarent. Tamen Monica eos lucratur, & corda eorum pertrahit ad Deum.

1. Eos cogit, quandoquidem penitus virtutes illius ipſi compertæ erant, & exploratæ, ut illam tamquam mulierem prorſus ſanctam colerent, & obſervarent.

2. Tanta caritate, lacrimis, effuſiſque ad Deum precibus adeo pro eorum converſione laboravit, ut illos coegerit, ut Sancti fierent. *P. Martineau.*

III. *Os ſuum aperuit Sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus: conſideravit ſemitas domus ſuæ.* Prov. 31. Hæc Sacri Textus verba ad unguem S. Monicæ quadrant, quandoquidem tantam habuit in regenda familia ſolertiam, ut ei illam ſanctificare contigerit.

1. Tantam ſervans moderationem cum viro moroſo, ingeniique pravi, ut tandem infinita ſua patientia illum converterit.

2. Deum orans tanto ardore, & tot lacrimas effundens pro filii ſui converſione, ut ex eo magnum Sanctum effecerit.

3. Greſſus ſuos tanta diligentia dirigens, ut omnia ad Evangelii normam componens ſe ipſam quoque poſt ſanctificatam familiam ſanctificaverit. *Biroat.*

IV. Pro argumento elogii S. Monicæ deſumi poſſunt:

1. Adminicula, & occaſiones, quas habuit ſemet in conjugio ſanctificandi; primum per patientiam, qua perpeſſa eſt triſte viri ſui temperamentum; ſecundo juges perſecutiones ſocrus ſuæ; tertio licentiam, & vitia filii ſui.

2. Virtutes quas in ſua viduitate exercuit, primum per exercitationem omnium bonorum operum, quæ illius ſtatum decebant, eleemoſynas &c. Secundo bonus odor, qui ſe ſe per totum orbem effuderat, & optima exempla; tertio ardor, quo pro Auguſtini converſione laboravit, quem tandem convertit, & ſanctificavit.

V. Oſtendi poteſt quam glorioſa fuerit S. Monica, eo quod Eccleſiæ Sanctum peperit Auguſtinum: nam gloria filiorum reſilit in eos, a quibus vitam acceperunt, quod pluribus Scripturæ locis probatur, immo etiam populorum omnium conſuetudine, qui colunt, ac obſervant Regum, Principumque parentes. Quod peculiariter locum habet in parentibus Sanctorum; jure enim præſumpſerunt, hos illorum Sanctitati aliquid contuliſſe præceptis ſuis, atque exemplis.

2. Quantum S. Auguſtinus debeat S. Monicæ matri ſuæ, quod illi quodammodo vitam gratiæ tribuerit, lacrimis, ac precibus apud Deum conſecuta illius converſionem: Qua in re plus illi debet Auguſtinus, quam quia ab eadem naturalem vitam acceperat.

VI. Oſtendi poteſt S. Monicam verum fuiſſe exemplar chriſtianæ matrisfamilias.

1. Propter obſequium viro ſuo præſtitum, qua re illius converſionem procuravit.

2. Propter curam domeſticorum ſuorum, quibus fuit exemplo.

3. Propter educationem filiorum ſuorum, præſertim vero S. Auguſtini, cujus dupliciter mater extitit, quoad corpus, & ſpiritum.

VII. Nequit exhiberi S. Monica aliis coloribus magis propriis, quam ſi oſtendatur, hæc vere fortis extitiſſe mulier, quam Regum omnium ſapientiſſimus Divino illuſtratus Spiritu nobis exhibuit, indutam fortitudine, & gratia, magnis occupatam rebus, intra fines modeſtiæ ſexus ſui, paratam ad effundenda in pauperum ſinu fortunæ bona, quibus illam cumulaverat Deus; Dei timore percitam, de humanorum magnalium vanitate convictam: non de inani fulgore fragilis formæ, ſed de ſolida virtute gloriantem; morientem in pace, atque tranquillitate electorum propria, divinam quæ recipiatur in Cælum, cui ſeſe offert bonis operibus ſuis ſtipata, & onuſta theſauris honoris, & gratiarum, quas ipſa collegit. Hæc pars eſt eorum lineamentorum, quæ nobis exhibet mulier fortis, quam hodie colit Eccleſia, digna laudibus viri ſui cujus converſionem operata eſt per morum ſuorum puritatem inſignemque patientiam: digna laudibus filii ſui, quem lucrata Deo eſt per lacrimas, & preces.

PARAGRAPHUS II.

Unde plura hauriri poſſunt argumenta ad texendum Sanctæ hujus Panegyricum, cujus virtutes ibi ad vivum expreſſæ leguntur.

Sancti Patres.

SAnctus Auguſtinus in Confeſſionibus ſuis deſcripſit vitam, mortem, & virtutes Sanctæ Matris ſuæ, & ex hoc fonte hauſerunt alii, quidquid de hac Sancta ſcriptis reliquerunt.

Valtherius Canonicus Regularis in ordinem coegit quidquid de illa S. Auguſtinus obiter tractavit in Confeſſionibus ſuis.

Idem S. Auguſtinus de eadem loquitur etiam in Epiſtola *de bono, & perfectione viduitatis*, & Epiſtola ad Probam, ubi illam Religioſam Domini ancillam vocat.

Martinus Papa V. in vita S. Auguſtini loquitur de Translatione corporis S. Monicæ Romam.

S. Ambroſius tomo primo librum edidit de viduis, unde plura deſumi poſſunt in laudem S. Monicæ.

S. Hieronymus Epiſtol. 9. ad Salvinam de ſervanda viduitate, & in Epiſtolis ad Furiam, & Hedibiam nonnulla habet, quæ inſervire poſſunt elogio Sanctæ hujus.

S. Fulgentius in Epiſtola ſecunda ad Gallum latius de hoc loquitur argumento.

Qui vitam ejus ſcripſere.

Surius, Lypomanus, Flos Sanctorum Ribadeneiræ, Baillet, Acta Sanctorum, Henſquenius, & Papebrochius.

P. Novet in vita Jeſu Chriſti in Sanctis, eximiam habet de S. Monica Meditationem.

P. Senault ex Oratorii tomo 1. Panegyricorum.

Biroat tomo 2. Panegyric.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. In tomo 2. Panegyricorum.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci, qui Argumento huic poſſunt convenire.

SEcundum multitudinem dolorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Pſal. 93.

Mater autem ejus flebat illum irremediabilibus lacrimis. Tob. 10.

Mulierem fortem quis inveniet? .... Lex clementiæ in lingua ejus.... Conſideravit ſemitas domus ſuæ. Prov. 31.

Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt; vir ejus, & laudavit eam. Ibidem.

Erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de ea malum. Judith 8.

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat. Luc. 7.

Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere; & acceſſit, & tetigit loculum: hi autem qui portabant, ſteterunt, & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Ibidem.

Mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt. Luc. 15.

O mulier! magna eſt fides tua; fiat tibi ſicut vis. Matth. 15.

Gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

Mulier cum parit triſtitiam habet: cum autem pepererit puerum, non meminit preſſuræ, quia venit homo in mundum. Joann. 16.

Quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat; & cum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. Luc. 15.

Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem. 1. Cor. 7.

Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus. Ad Hal. 4.

Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt. Ad Tim. 5.

Quæ vere vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, & die. Ibidem.

Exempla, & figuræ Scripturarum in hoc argumento.

S. Monica bono paſtori comparatur qui inventā ovē, que perierat ſuper humeros geſtat in paſcua.

NOverat ad unguem Monica munus, quod ſibi imponebat maternitas ſua, & quam inde auctoritatem reciperet. Noverat alterum quidem magnum zelum requirere ad Auguſtini ſanctificationem, alterum vero zelo ſuo permitte-

re quemcumque ardorem, ac ſollicitudinem. Quid ergo illa per ſe non fecit? Vix intellexerat prima vitiorum ſemina in filio, cum illa ſuffocare conata eſt monitis ſalutaribus. Attenta in omnibus illius greſſibus explorandis, nulli parcebat labori, ut illum ab erroribus revocaret: & ſi illius exprobrationes erant ſuavitate conditæ, omnem tamen habebant vim, quam illi ſuppeditare poterat timor videndi filium optatiſſimum, & alioquin amore digniſſimum, in æternum pereuntem. Hoc ſenſit filius, quemadmodum deinceps confeſſus eſt, ſed raptus ardore æſtuantis adoleſcentiæ, non ceſſit. Quodnam ſpectaculum occurrit oculis meis! Videor mihi videre bonum hunc Paſtorem, qui in Evangelio cum fruſtra geſtu, ac voce conatus fuiſſet ovem aberrantem revocare; illam anhelitu crebro, uſque per invia, ac devia perſecutus eſt. Quæ enim aptior inveniri poteſt imago ad ea exprimenda, quæ Monica aggreditur? Amor, & obſervantia Auguſtini in illam non ſinit, ipſum diutius ob oculos ejus in vitiorum cœno volutari, quæ genitrici amantiſſimæ dolorem novit afferre; & cupiditas, quæ dominatur illi, minus adhuc ſinit, ut illi abrenuntiet. Ut utrumque conciliet, alio ſe conferet eam quæſiturus libertatem, quam nanciſci non poteſt domi ſuæ, & ſub oculis matris ſanctiſſimæ. Sed quodcumque moliatur, non fugiet unquam ſanctis ſollicitudinibus, quibus illa filii ſalutem perquirit. Fruſtra interſerit ſe inter, ac illam immenſa maria; hæc illa invitis tempeſtatibus arabit, & licet conſpiret, ut ita dicam, cum Auguſtino infernus, ad procellas in illam ciendas, quamcumque in regionem ſe conferat ille, ut matrem ab incepto deterreat, hæc tamen laboribus, periculiſque contemptis illum proſequetur. Africa, Europa, Carthago, Roma, Mediolanum videbunt hanc conſtanter perſequentem filium, qui gratiæ rebellis pertinaci animo ad interitum per erroris, ac licentiæ ſemitas advolat.

Gloria S. Monicæ eſt precibus ſuis Eccleſiæ peperiſſe S. Auguſtinum, ſicut S. Stephani gloria eſt dediſſe illi S. Paulum.

Non poſtremum S. Stephani elogium eſt precibus ſuis converſionem Apoſtoli Gentium obtinuiſſe: *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Hoc ipſum in Monicæ honorem dicamus: precibus ejus Eccleſiam debere Doctorem, cujus vaſtum, & ſublime ingenium longius ſui nominis gloriam, quam aliud quodpiam vel ante, vel poſt ipſum protulit; cujus auctoritas adeo probata eſt, ut error ad fideles fallendos nomine illius ſe tegere affectaverit, & veritas non alibi fere, quam in illius ſcriptis aut lumina quæſiverit ad illam detegendam, aut arma ad illam impugnandam, cujus ſcientia, & virtus vigent adhuc in tot ferventibus Religioſis, inceſſanter pugnantibus contra inimicos Domini, ſub vexillo, quod alias illis oſtendit, & ſervantibus regulam, quam illis propoſuit.

Sicut Senex Simeon mori optavit poſtquā vidit Meſſiam: ita Monica nō quæſivit ultra vivere ex quo vidit converſionē filii ſui Auguſtini.

Simeon venerabilis non vivebat niſi expectans adventum Salvatoris Iſrael; ſed ex quo votorum ſummam aſſecutus fuit, mori deſideravit, ut facie ad faciem videret, quem ſub humanitatis velo latentem conſpexerat. Nequivit exuberantem cohibere lætitiam, eo quod inter ulnas ſuas Redemptorem Iſrael geſtabat, vel moriendi deſiderium poſt adeo jucundum ſpectaculum. Intonuit canticum illud admirabile, quod cordis ejuſdem ardorem, vivam illius fidem, æternorumque bonorum ſpem indigitabat, Monica non vivebat, niſi ut videret Auguſtinum ſuum converſum; hoc erat curarum, hoc lacrimarum ejus objectum; preces illius non alium finem habebant. Voti tandem rea facta fuit, & uti Simeon non aliud cupit niſi Mortem; Neſcio, fili mi, dicebat illa S. Auguſtino: *Quid hic faciam adhuc, & cur hic ſim neſcio.* Unum erat, propter quod vivere optabam, nempe ut ante obitum meum hac lætitia perfruerer videndi te Chriſtianum, atque Catholicum. Deus mihi plura contulit optatis; video enim te ſæculi felicitate contempta temet illius cultui addixiſſe: *Cumulatius hoc mihi præſtitit Deus, ut etiam contempta felicitate terrena ſervum ejus te videam.* (*lib. 9. Conf. c. 10.*) Non reſtabat ergo S. Monicæ niſi pars Simeonis; in pace animam efflare, quia adimpleta erant illius deſideria.

Preces S. Monicæ pro converſione filii comparatæ precibus S. Stephani pro S. Pauli converſione.

Quandoquidem juxta Sapientis doctrinam: *Gloria Patris filius ſapiens* eſt; fructus enim omnia debet arbori, quæ illum produxit, & omnia ſoli debent lumen originis ſuæ: tota Auguſtini gloria ad S. Monicam pertinet; omnes victoriæ filii ornamenta ſunt triumphi ſanctiſſimæ hujus parentis. Igitur S. Monica Manichæos devicit, illa domuit Donatiſtas, illa Pelagium confudit, quia illa non ſolum dedit corpus S. Auguſtino, qui illos omnes delevit, ſed illi etiam animæ vitam dedit; quia tandem convertit illum, & æque feliciter illius facta mater eſt ſecundum ſpiritum, quæ ſecundum corpus tantum mater fuerat. Si jure ſuo cognovit Eccleſia S. Stephanum omnia ſibi vindicare potuiſſe S. Pauli merita aliquo in ſenſu eo quod perſecutorem hunc precibus ſuis convertit, nonne pari jure S. Monica ſibi vindicare poteſt omnia operum filii ſui merita; & quandoquidem per preces, lacrimaſque illum dedit Eccleſiæ, ſibi quodammodo omnia arrogare poteſt ea, per quæ filius de Eccleſia optime meritus fuit? Quam dives es bonis operibus, o vere fortis mulier, quoniam hac una de filio tuo victoria tot victorias, atque triumphos retuliſti!

S. Monica cum Vidua Nain comparata.

Cum Eccleſia veritatis ſpiritu ducta S. Auguſtini miſeriam nobis exhibeat ſub illa adoleſcentuli Nain, quem immatura mors in ipſo flore ætatis abſtulerat; ita extremum S. Monicæ dolorem nobis repræſentat ſub imaginem Viduæ mœrore confectæ, quæ ſequebatur filium, qui efferebatur, & quæ illius mortem lacrimis proſequens obtinere merita eſt ejuſdem reſurrectionem per lacrimarum torrentem. Mortuus erat Auguſtinus per peccatum, per libidinem, erroreſque ſuos, per quos & continentiæ, & fidei fecerat jacturam. Reliquum illi erat, ut contumularetur, non ſecus ac infelix ille adoleſcens; non quidem in terra, ſed in inferno. Sed non minus verum eſt Monicam lacrimis ſuis illi vitam reddidiſſe, & illum avocando a flagitiis, & erroribus felicius fuiſſe matrem animæ ipſius, quam corporis fuerat. Ita ille conſiderans conditionem ſuam aliquam habere ſimilitudinem cum illa Viduæ Nain; filium ſuum obiiſſe, non ſecus ac illum matris hujus dolentis, illius verba mutuabatur, & obteſtabatur Dei Filium ut diceret Auguſtino, quemadmodum dixerat illi adoleſcentulo, *Surge*; eumque ſibi redderet, quemadmodum alias puerum illum mœrenti genitrici dederat. Patres, Matreſque hanccine viduam imitamini? lugetiſne filios veſtros, ut Monica? petitiſne illorum ſalutem tanto cum dolore, & perſeverantia? Lugetis eorum morbos; & illorum libidines non lugetis. Lugetis mortem corporis eorum; & excidium animarum ipſorum non lugetis. Peccatis ſe ingurgitent, flagitioſam ducant vitam, Deum blaſphemiis laceſſant, illius mandata criminibus violent, in ſuis libidinibus computreſcant, totos vitæ ſuæ dies in ſceleribus tranſigant; ne minimum quidem gemitum, aut ſuſpirium emittitis; ne unam quidem lacrimulam funditis. Aut ſi in morbum incidant, qui valetudini eorum officiat; Si mala valetudo vel oris colorem, vel temperamentum mutet; ſi quid accidit, quod nomini eorum ignominiæ labem offundat, vel fortunarum jacturam afferat, non ſatis verborum invenitis, ut conqueramini, vel ſatis lacrimarum, quibus eorum cauſſam proſequamini. Diſcite a S. Monica, hoc non eſſe filios diligere, diſcite ab Auguſtino durum eſſe flere mortem filii, & non flere mortem peccatoris; *Sciat ſe eſſe inculpabiliter durum, qui flet mortem amici, & qui non flet mortem animæ.* (*S. Aug. ſer. de Verb. Domini.*)

Exemplum graviſſimi doloris in matre, quæ unigenitum ſuum amiſit translatum ad S. Monicam.

Scriptura nobis affert exemplum inconſolabilis triſtitiæ, graviſſimique doloris triſtitiam, doloremque matris, cujus unigenitus obiit, quem unice diligebat; mihi autem adjicere poſſe videor, nullum majus inveniri poſſe gaudium, aut animi conſolationem, quæ illam matris hujus exæquet, quæ poſtquam diu lacrimis proſecuta eſt filium ſuum tanquam e viventium numero deturbatum, hic illi occurreret non optime tantum fruens valetudine, ſed præterea ad ſummum dignitatis apicem evectus, & in eo loco ſitus, ubi eidem poſſet mutua præbere amoris & benevolentiæ argumenta. Hæc fuit exuberantis lætitiæ magnitudo in S. Patriarcha Jacob, ubi audiit filium ſuum, cujus jactura tot illi lacrimis ſteterat, non ſolum vivere, verum etiam potentem eſſe in Ægypto, Magni miniſtrum imperii, & potentiſſimi Regis amicum. Tunc Sanctus hic Patriarcha reviviſcere ſibi viſus eſt, & temperare non potuit gaudium, quominus in omnes illius ſenſus erumperet. *Sufficit*, exclamavit, *Sufficit, ſi adhuc Joſeph filius meus vivit: vadam, & videbo illum, antequam moriar.* Poſt hoc nihil eſt, quod petam in terris; antequam moriar, hac fruar videndi illum felicitate, & votorum meorum compos obibo. Hoc gaudio affectus prodigi filii pater ſentit ſua exultare præcordia ad illius redeuntis aſpectum. Ubi eminus illum intuitus fuit, ad illum cucurrit obviam eum deoſculaturus, licet omnibus his blanditiis indigniſſimum. Opus fuit, ut tota domus in hujus lætitiæ partem accederet, magnifico inſtructo convivio. Hoc profecto gaudium tantum eſt, ut non defuerint matres, quæ tantæ lætitiæ impotentes ita fuerunt, ut quæ ad nuntium mortis filiorum ſuorum dolorem ſuſtinere potuerunt, ubi eos reduces præter ſpem viderunt, in eorum ruentes oſcula expiraverint. Si ergo naturæ ſenſus huc uſque proceſſerunt, illi, quos excivit gratia in cor S. Monicæ ad aſpectum Auguſtini mutati, & converſi eo graviores fuerunt, quo animæ vita, quam illi ſuæ reddiderant lacrimæ toto cælo erat matri antiquior, quam corporis vita, quam eidem antea tribuerat. Hoc matri ſuæ teſtimonium perhibet Magnus hic Doctor: *Mater carnis meæ ſalutem meam ſempiternam carius parturiebat corde caſto.* Licet mihi ſaltem gaudii, & conſolationis ejus magnitudinem metiri, ex magnitudine dolorum ipſius, quod faciebat David Propheta: *Secundum multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

S. Monica peperit filiū ſuū per vulnus cordis, ut Eccleſia manavit ex latere Salvatoris.

Patres vulgo dicunt Dei Filium Eccleſiam ſuam peperiſſe per vulnus cordis, per aquam, & ſanguinem inde manantem. Dicere poſſumus, habita ratione, Monicam peperiſſe gratiæ filium ſuum per vulnus cordis ſui; hunc eſſe *Benoni* ſuum, filium dolorum ſuorum, filium gemituum, ac ſuſpiriorum. Suſpiria & lacrimæ ſunt ſteriles in ordine naturali, ſed ſecundæ ſunt in corde, & in oculis Monicæ, quæ nonniſi per motum gratiæ plorat filii ſui Auguſtini converſionem conſecutura.

Preces S. Monicæ pro Auguſtino ſuo cōparatę ſacrificiis quæ Job offerebat pro filiis ſuis.

Narrat Scriptura Job ſacrificia offerre conſueviſſe pro filiis ſuis, & amantiſſimum patrem hunc veritum ne illi in adoleſcentia, & in rerum omnium copia Dei læderent Majeſtatem, hanc muneribus ſuis placare ſtudebat. Licet magna eſſet hæc pietas, tamen par non erat illi matris noſtræ piiſſimæ; magnus enim ille vir ex gregibus ſuis victimas ſumebat, & Dei viventis aram ſanguine agnorum, hircorumque irrigabat; ſed Monica ipſa victima eſt; rigat enim altaria puriſſima ſanguine cordis ſui ex oculis ſuis in lacrimas effuſi fluente: *Et de ſanguine cordis matris meæ, inquit filius ejus, per lacrimas ejus, diebus & noctibus pro me ſacrificabatur.* Mater mea, mater animæ meæ æque ac corporis mei, mater ſa-

lutis meæ æque ac vitæ meæ ſibi quotidie ſacrificabat ſanguinem cordis ſui per lacrimas ſuas. Petebat a te reſurrectionem meam, ſciens me mortuum eſſe, & recordata omnes peccatores a te in cruce fuiſſe reſuſcitatos, ſuas cum tuis lacrimas miſcebat, ad te cogendum, ut me converteres, atque reſuſcitares.

S. Monicæ lætitia pro filii ſui cõverſione comparatâ gaudio S. Pauli pro Gentilium cõverſione.

Nulla Chriſtiano viro major eſſe lætitia, & conſolatio poteſt, quam ſibi ad Dei Tribunal accedendum eſſe, poſtquam animam lucratus eſt, & poſtquam de Deo optime meritus eſt ea in re, qua illi nulla eſt antiquior. Quærite ex D. Paulo quænam hæc ſit conſolatio? Dicit enim eam toto Cælo ſublatos a ſe labores excedere: *Superabundo gaudio: conſolatione plenus ſum*. Cor meum ita exuberat gaudio, ut illius compos non ſit: quare autem Apoſtole? quænam eſt hujus rei cauſſa? Hæc nempe, quod Titus mihi nuntium attulit zeli, & ardoris, quem Corinthii teſtantur pro cultu Dei, & felicis cordis eorum mutationis. Heu! Nullum eſt gaudium, quod cum hoc valeat comparari. Eamdem ob cauſſam Philippenſes, quos ad fidem converterat, appellat cauſſam gloriæ ſuæ, coronam ſuam, ſpem ſuam, quoniam zelus quo flagrabat propter gloriam Dei ſui, efficiebat, ut ille ſpectaret habitum animarum ſalutem, tamquam meſſem, pretium laborum, vigiliarum, & ſudorum ſuorum. Hoc igitur in ſenſu Auguſtini converſio non ſolum fuit gaudium, & conſolatio Sanctæ Monicæ, quæ illum pepererat gratiæ tot lacrimis, atque doloribus; ſed præterea matris etiam gloria adaucta eſt per merita præclara, quæ filius ejus converſus Eccleſiæ præſtiterat; ita ut quantum verecundiæ matri per flagitia ſua Auguſtinus intulerat, cum Religionis veritati obſiſtebat; tantum eidem afferret honoris cum Eccleſiam propugnabat.

Cum Salomon nobis Mulierem fortem deſcripſit, viſus eſt repetendo præterita ſæcula, nequaquam illam inveniſſe virtutem, cujus tabulam exhibebat. Spiritus Sanctus novo ſervabat Teſtamento prærogativam præbendi ſpectaculum rei adeo infrequentis. Monica una ex illis eſt, in quibus major invenitur ſimilitudo cum admirabili autographo, quod Salomon delineavit. Nonne toto vitæ ſuæ ſpatio nativam præſetulit bonitatem? ſummam erga conjugem ſuum reverentiam, juxta Religionis placita? ſolertiſſimam familiæ curam in iis, quæ cum ad ſpirituale, tum ad temporale pertinent? Semper intenta fuit, ut conſideraret ſemitas domus ſuæ. Manus ejus labori aſſuetæ fuerunt; filii ejus in Dei timore educati; nunquam deerat alicui ex officiis ſuis erga Deum, erga virum ſuum, erga familiam ſuam. Os non aperiebat, niſi ut proferret verba Sapientiæ pleniſſima: *Os ſuum aperuit Sapientiæ*. (*Prov.* 31.) Nonne æquum eſt, ut hæc admirabilis vidua recipiat, ſub titulo fortis mulieris, tributum laudum noſtrarum, quoniam opera ejus illam commendant? *Laudent eam in portis opera ejus*.

Applicationes aliquorum locorum Scripturæ huic Argumento.

Vita gratiæ quam recipimus longe præferenda eſt vitæ naturali quam a parentibus accepimus.

Mulier cum parit triſtitiam habet, cum autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ, quia venit homo in Mundum. Joann. 16. Cum vita gratiæ aliquam habeat ſimilitudinem cum vita, quam a natura recipimus, mirum non eſt, quod Dei Filius in Evangelio iiſdem verbis utatur ad utramque ſignificandam; & ad conceptum aliquem tradendum nativitatis prorſus Cæleſtis, quam in baptiſmo recipimus, & quæ nos Dei filios efficit; comparat illam cum ea, quæ nobis notior eſt, & in hominum numerum introducit. In hoc fundamento, ac locutione conſtituo admirabilis Monicæ elogium, Matris Magni Auguſtini ſecundum naturam ſimul & gratiam: *Mulier cum parit, triſtitiam habet*. Amatiſſimum hunc filium magnis cum doloribus edidit in lucem, hoc illi eſt commune cum aliis matribus; hac enim pœna illas Dei ſententia damnavit; ſed in Sancta hoc peculiare eſt elogium, quo Eccleſia illam celebrat. Iterum parit hunc eumdem Auguſtinum doloribus, & diutioribus, & gravioribus; nam quem novem menſibus utero geſtaverat, novem annis illum geſtavit in corde cum iis cruciatibus, qui non deſierunt niſi poſtquam illum vidit gratiæ renaſci, & cum jugibus ſuſpiriis, quæ tandem Cælum flectere valuerunt, & coegerunt filium tot lacrimarum, ut ſe ſe dederet voci Dei: quapropter illam æque ac Rachel quæ Benjamin filium doloris ſui nuncupavit, fructum ſuorum dolorum, votorum, atque gemituum, Monica etiam jure Auguſtinum ſuum valeat appellare.

Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere. 1. ad Timoth. 5. Perfectionis vias extra ſtatum ſuum quærere, ſtultum eſt. Deus ita conditiones omnes ordinavit, ut illæ ut plurimum ſecus magnam perfectionis vitam ſitæ inveniantur. Illas alibi inquirere, errare eſt. Si qua vidua filios, aut nepotes habet, S. Paulus inquit, diſcat primum præeſſe domui ſuæ; non ait: primum tranſigat in Templis, vel Noſocomiis dies ſuos; non ait: omne otium ſuum in opera bona tranſmittat, ſed ante cetera curam habeat filiorum ſuorum, educet illos in timore Dei, diſcat domum ſuam regere. Hæ devotæ, quæ hoc nomen aucupantur, hæ matres familias, quas fallax bonorum operum, ac pietatis color, inceſſanter ex domeſtica extrudit ſolitudine, & nimis gravi objicit tumultui, ſequuntur ne Apoſtoli conſilium? Abſit, quod hic perſtringere audeam Chriſtianarum Matronarum piam Caritatem, quæ tot miſeris tanto eſt ſubſidio, & quæ efficit, ut tanta cum luce primus Chriſtianæ Religionis Spiritus refloreſcat. Loquimur ſolum de iis devotionibus, quæ non habent locum, quæ ut plurimum amoris proprii, & ſecretæ ſuperbiæ ſunt fructus. Cura familiæ fatigat, jugis vigilantia in iis, quæ ad domus regimen pertinent, tædio eſt; domi ſedere faſtidium creat, amor proprius ſibi ſatisfacere quærit; color inquiritur ad rationem inveniendam ſe ſe diſpenſandi ab officiis, quæ patet eſſe eſſentialia; illum autem ſuppeditat falſa devotionis imago. Omnibus Eccleſiæ celebritatibus volunt adeſſe; omnibus pietatis cœtibus intereſſe geſtiunt, maxima diei pars in Templis conſumitur. Sanctæ quidem occupationes, commendabilis temporibus uſus, dummodo non adſint officia quædam obeunda, quæ cum pio hoc otio ſimul eſſe non poſſint. Verum ſi donec iſta mater familias devote intereſt cœtui cuipiam pietatis, domeſtici in flagitioſa vivunt licentia; ſi donec in alienam familiam ſtudet pacem injicere, diſſidium, ſimultas, tumultus regnant in ſua; ſi donec mœrentibus opem affert, virum ſuum exaſperat, & ſpiritum ejus pia irritat otioſitate, atque prolixis abſtinentiis; denique ſi donec ſtationes ſuas in Eccleſia producit, filii ſui traditi curæ alicujus domeſtici, aut vitioſi, aut negligentis, educatione carent, non audiunt niſi obſcenos ſermones, non niſi ſequiora vident exempla: placitæ ne erunt Deo tot illius erga alienos curæ? Rationem ne habiturus eſt Deus zeli adeo imprudentis, & inordinati? Devotiones ejus adeo importunæ, & vix, & ne vix quidem conciliabiles, cum officiis ſtatus ſui, Deo ſapient? Tumultuoſi filiorum ſuorum clamores; viri querelæ, domi totius murmur Dominum non prohibebunt, quominus vocem audiat deprecantis? Videtur non potuiſſe Deus devotionem faciliorem efficere, eamque magis mortalium omnium captui ſubjicere, quam illam cujuslibet ſtatus officiis ſubnectens: quod optime aſſecuta eſt S. Monica, quæ quin phantaſticas id genus devotiones conſectaretur, & in Mundi tumultus ſe ſe diſſiparet, latebat in penetralibus domus ſuæ, unice intenta muneribus ſtatus ſui.

Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem. 1. ad Cor. 7. Quænam fuit S. Monicæ gloria violentum Patritii ingenium placaſſe, & infidelem hunc convertiſſe? Laudantur Apoſtoli, eo quod gentes converterunt, dæmones de templis ejecerunt: propriæ Monicæ gloria eſt, fuiſſe quodammodo Apoſtolam Patritii, eumque Salvatoris jugo ſubjeciſſe; expuliſſe dæmonem de corde illius, eique gratiam contuliſſe. Sed quænam poſt hæc illius extitit conſolatio, videre virum ſuum animam efflare, qualem decet Chriſtianum, & Sanctum, cum hac ſpe, futurum ut aliquando illum iterum videat in gloria, quam illius ope receperit? Tale eſt gaudium Angeli Cuſtodis, qui hominis in toto vitæ ſpatio fuit dux, & quem tandem poſt repulſas, & errores videt incolumem in portum appellere. Lætare, prudens Monica, in morte Patritii tui converſi; & ſi ejus dilectio elicuit ex oculis tuis lacrimas aliquot, caritas ſupernaturalis tibi lætitiæ ſenſus injiciat, eo quod illum Jeſu Chriſto lucraris, cum mundo perdis, eo quod alter fuiſti Cuſtos Angelus, qui poſt tot contradictiones, obices, atque inſuperabiles difficultates adduxiſti illum in Cælum, quo illum ſecutura es ad ſpectandam gloriam, quam recipit, ſimulque videndum, te illius cauſſam extitiſſe.

Quo dolore S. Monica iterum pepererit S. Auguſtinum illi vitam gratiæ procurans.

Mulier cum parit, triſtitiam habet &c. Joan. 16. Non ſine magnis doloribus Monica Auguſtino ſuo, quem unice diligebat, alteram contulit nativitatem, vel potius Deus illa uſus eſt, ut hanc illi rurſus conferret. Hæc applicatio a S. Paulo probatur: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. Optatiſſimi filii, dicebat ille Galatis, quibus ſecundo fidem nuntiaverat: Filii cariſſimi, quos iterum pario, donec Dei Filius perfecte efformetur in cordibus veſtris, per gratiam, quam ipſe in vobis producit. Deinde ſatis eſt illum audire narrantem curas, & ſollicitudines ſuas, labores & perſecutiones, quas paſſus eſt, ut judicium fiat alteram hanc vitam ſupernaturalem nobiliorem eſſe prima, quam a natura recipimus. Parturitionis hujus paſſiones, atque dolores excedunt illos, quos Matres filium enixæ patiuntur. Sed hoc nemo melius cognoſcere poteſt, quam admirabilis Monica, quæ utrumque partum experta eſt, & primi dolores nullo in diſcrimine cenſuit habendos, cum lacrimæ ejus ubertim emanare in altero non ceſſaverint. Primi quidem dolores naturalem Matri erga filium amorem immiſerunt, quod in aliis etiam matribus vulgo accidit; ſi verum eſt, quam nonnulli aſſerunt, hanc eſſe cauſſam amoris illius adeo teneri, atque ferventis, qui quodammodo in earum corde infixus inhæret; ſed cum Sancta hæc vere Chriſtiana eſſet, & ſupernaturalibus ageretur principiis; cogitabat non ſolum, hunc filium ad Deum potius pertinere, quam ad ſe, & ſe illum in lucem prodidiſſe propter Dominum: verum etiam arbitrabatur primum officium ſuum eſſe hunc propter eumdem educare; cumque ipſum ab eo recepiſſet tamquam hominem, propter benedictionem, qua Deus conjugium illius cumulaverat, exiſtimabat ſibi filium Deo reddendum, & eſſe quodammodo Cælum illi aperiendum, eumque ſuis documentis, exemplis, ſanctaque inſtitutione illuc inferendum.

Quomodo S. Monica ſuſcitaverit Auguſtinũ, qui mortuus erat gratiæ.

Mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt. Luc. 11. Peccatoris converſio non minimum eſt opus Dei: ſimilis eſt novæ creationi, & reſurrectioni hominis, quæ maxime ſunt mirabilia divinæ potentiæ effecta. Creatio eſt, quia educit peccatorem ex nihilo, & ex abyſſo peccati; hoc etiam nomine illam David appellat: petens enim a Deo converſionem ſuam,

ſuam, eum flagitat, ut in ſe creationis miraculum operetur: *Cor mundum crea in me Deus*. Peccatoris converſio eſt etiam Reſurrectio; Scriptura enim dicit animam occidi peccato: *mortuus erat, & revixit*. S. Monica duo hæc magna miracula operata eſt in Auguſtino filio ſuo, facta eſt iterum mater illius educens illum de nihilo peccati, eumque gratiæ reſuſcitans. Procul abſceſſerat, per errores ſuos perierat; ſed Monica paſtoris zelo animata, & zelo materno ſuccenſa ſecuta eſt ovem hanc errabundam, atque fugientem, eamque ſuper humeros retulit in paſcua Jeſu Chriſti: *perierat, & inventus eſt*. Mortuus erat gratiæ, jampridem tumulatus fuerat, graviſſimum ſcelerum ſuorum odorem fundebat: *Domine jam fœtet*: ſed Monica felix æque ac Martha & Maria merita eſt reſurrectionem Auguſtini peccatoris.

Lacrimæ a S. Monica pro filio effuſæ comparatæ lacrimis quas Jeſus in cruce effudit pro peccatoribus.

Cum lacrimis, & clamore valido exauditus eſt pro ſua reverentia. Ad Hebr. 5. Cum Dei Filius peccatorum vices ſubiens in Cruce, lenire voluit Patris ſui juſtitiam; lacrimas ſanguini admiſcuit, & duplici hac effuſione id, quod cupiebat aſſecutus eſt: quippe lacrimæ ſunt amoris effecta, & ſanguis cordis ſancti, cui Deus nihil negare poteſt: *Cor contritum & humiliatum, Deus non deſpicies*. (*Pſalm.* 50.) Juges lacrimæ S. Monicæ teſtes fideles ardentis amoris ſui erant ſanguis, qui de ipſius corde manabat: *Teſtantur lacrimæ dolorem, teſtantur etiam amorem: erumpunt quaſi rivuli Sanguinis cordis*. (*Aug. hom.* 27.) Hoc erat cruentum illud ſacrificium, quod inceſſanter offerebat Deo. Poteraſne, Domine, non audire cor iſtud contritum, & humiliatum, Monicam pro me ferentem dolores partus ſpiritualis, & ſingulis diebus, noctibuſque ſacrificantem hunc cordis ſui ſanguinem per lacrimas ſuas? *& de ſanguine cordis matris meæ, per lacrimas ejus diebus, & noctibus pro me ſacrificabatur*. (*Idem l. 3. confeſſ. c. 7.*) Petebat illa a te reſurrectionem meam, ſciens me mortuum eſſe, & non oblita te fuiſſe promeritum reſurrectionem peccatorum omnium in cruce per ſanguinem, lacrimaſque tuas, tuis ſuas miſcebat, ut te cogeret ad me convertendum, atque reſuſcitandum. Te obteſtabatur, ut gemitibus aliqua virtutis fieret acceſſio per gemitus validos, quos pro nobis Filius tuus emiſit in Cruce, quibus nihil negare potuiſti: *Cum lacrimis, & clamore valido exauditus eſt pro ſua reverentia*.

Monica poſt Patritii mortẽ viri ſui, penitus ſe ſe devovit Deo bonis operibus intenta & cõverſioni filii ſui.

Dirupiſti vincula mea. Pſalm. 115. Monica poſt obitum Patritii viri ſui jure dicere poterat Deo illa Prophetæ verba: Nulla re prohiberi modo poſſum, quominus ſine ulla diviſione tota tua ſim. Profecto licet Monica ſeſe totam ab ipſa pueritia devoviſſet Deo, licet illi a teneris unguiculis famulata fuiſſet; adhuc perfectius ſeſe tradidit ipſi; ſed filius ejus Auguſtinus fuit quodammodo vinculum, & nodus, qui arctius eam conjunxit, videlicet occaſio fuit propter quam illi propius inhæreret orationibus magis aſſiduis, ac ferventioribus, jejuniis auſterioribus, & uberioribus eleemoſynis ad obtinendam filii ſui Converſionem, qui majorem nactus libertatem, & vitæ ſuæ dominium per obitum patris, qui cum ſeipſum jam convertiſſet, & Chriſtianæ fidei nomen dediſſet, filii flagitia exprobrare non deſtitiſſet; qui nactus inquam, plenum dierum ſuorum arbitrium, & in ſingulos dies ſeſe pluribus vitiis ingurgitans, nullo habens in diſcrimine monita parentis ſuæ, de flagitiis in hæreſim, & de morum licentia in carentiam fidei lapſus eſt.

Commodavi eum Domino. 1. Reg. 1. Hi pii ſunt ſenſus matris Samuel, cum obtulit filium ſuum Templo, ex quibus videre eſt, teneri parentes Deo filios ſuos commodare, ſed cum lucro, & perfectionum augmento. Deus dedit illis filios tamquam homines, & hi fieri debent a parentibus Chriſtiani, Sancti, & Prædeſtinati. Deus per genitores filiis dedit animam rationabilem; genitores autem debent illos Deo reddere cum animabus per bonam inſtitutionem ſanctificatis. Parentes, vos illis dediſtis corpora materialia, & mortalia; date illis per curas veſtras corpora virtute prædita, modeſtos oculos, linguam verecundam, membra aliquando gloria, & immortalitate induenda. Facite in illis fœdus duplicis fecunditatis, alterius quidem fecunditatis naturæ, alterius autem fecunditatis gratiarum. His conditionibus Monica facta eſt S. Auguſtini Mater, & excepit fructum conjugii ſui, ut ex illo deinceps inſignem ſanctitate virum efficeret.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ S. Auguſtini de Matre ſua.

Quæ referat Auguſtinus de virtutibus Matris ſuæ, & de ſollicitationibus, quibus angebatur propter filii converſionem.

Qualis illa erat, docente te magiſtro in ſchola pectoris? S. Auguſt. l. 9. Confeſſ. c. 10.

Erat ſerva ſervorum tuorum; ſi quis eorum noverat eam, multum in ea laudabat, & honorabat eam, & diligebat te, quia ſentiebat præſentiam tuam in corde ejus.

Fuerat unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum ſuam pie tractaverat, in operibus bonis teſtimonium habebat. Ibidem.

Nutrierat filios toties parturiens, quoties a te deviare cernebat. Ibidem.

Sategit virum ſuum lucrari tibi; nempe Chriſto. Ibidem.

Majore me ſollicitudine parturiebat ſpiritu, quam carne pepererat. l. 5. Confeſſ. c. 9.

Mater carnis meæ ſalutem meam ſempiternam carius parturiebat corde caſto. l. 1. c. 11.

Per lacrimas ejus diebus, & noctibus pro me ſacrificabatur. l. 3. c. 7.

Virum ſuum jam in extrema vita temporali ejus lucrata eſt tibi, nec in eo jam fideli planxit quod in nondum fideli planxerat. l. 9. Confeſſ.

Jam venerat ad me mater fortis pietate, terra, marique me ſequens, & in periculis omnibus de te ſecura. l. 6. c. 1.

Placidiſſime, & pectore pleno, reſpondit mihi, credere ſe in Chriſto, quod priuſquam ex hac vita migraret, me viſura eſſet fidelem Catholicum. l. 6. Confeſſ.

Inter diſſidentes, atque diſcordes quaslibet animas, ubi poterat ſe præbebat pacificam. l. 9.

Alteri de altera nihil prodebat, niſi quod ad eas reconciliandas valeret. Ibidem.

Quantum ad me attinet, fili, inquiebat, nulla re delector in hac vita, quid hic faciam adhuc, & cur hic ſim, neſcio, jam conſumpta ſpe hujus ſæculi. Ibidem.

Unum erat, propter quod in hac vita aliquantulum immorari cupiebam, ut te Chriſtianum Catholicum viderem, priuſquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præſtitit, ut contempta felicitate terrena ſervum ejus te videam. Ibidem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hoc in Argumento valeat hauriri.

Cur Deus conjugium inſtituerit, & quænam ſint eorum officia, qui ad ſtatum hunc evocãtur, quod a S. Monica diſci poteſt.

Dei Conſilium in fœderibus ſanciendis, quibus mortales invicem conjunguntur, & ex quibus familiæ coaleſcunt, longe aliud eſt ab humanæ politicæ rationibus. Humana politica reſpicit tantum temporalem rerum publicarum utilitatem, quæ alioquin ſtare non poſſent: Deus vero potiſſimum intuetur augmentum Civitatis Sanctorum, juxta S. Auguſtini verba; vel Cæleſtis Jeruſalem, pro qua ea omnia fecit, quæ omnium ſæculorum lapſu prodierunt: *Omnis hæc temporis diſpenſatio propter noſtram ſalutem facta eſt*. Ita mulier, quæ Dei conſiliis obſequi vult, & fieri mater vere Chriſtiana, ſe ipſam debet ſanctificare, inceſſanter invigilando ſanctificationi, & viri ſui, & filiorum, quos illi cælum largitum eſt. Super ſolido hoc principio, S. Monica vitæ ſuæ rationem inſtituit; & quemadmodum noverat, ſe quatenus conjugem ſubditam futuram eſſe, & quatenus matrem obtenturam eſſe auctoritatem, intellexit, quin extra duplicis hujus characteris cancellos egrederetur ſibi duplici via longe alia ſibi vacandum eſſe, & Patritii conjugis ſui Sanctificationi, & Auguſtini filii ſui Converſioni, ſibi, ut Sponſa fieret vere Chriſtiana, alterum ſanctificandum eſſe per omnem patientiam, quam eidem inſpirare poterat ſubjectio; atque ut mater eſſet vere Chriſtiana, ſibi adhibendam eſſe omnem eam ſollicitudinem pro filii ſui Converſione, quam auctoritas ipſi permittere poterat.

Viri felicitas qui bonam uxorẽ nactus eſt.

Docet nos Sapiens, virum; *qui invenit mulierem bonam, inveniſſe bonum*, ut intelligamus felicem hanc electionem plura ſecum involvere bona non ſolum pro tempore, ſed in omnem æternitatem profutura; quod non vereor in ordine vitæ urbanæ quamdam velut primam gratiam appellare. Quamobrem S. Paulus teſtatur crebro accidere, quod *vir infidelis ſanctificatur per mulierem fidelem*. (1. *Cor.* 7.) Conjugium S. Monicæ cum Patritio fuit huic fons gratiæ, & cauſſa prædeſtinationis; & Sancto noſtra fuit illi tamquam Prædicator, atque Apoſtolus, quia poſuit gratiam in labiis ſuis, ut illam in conjugis ſui pectus infunderet. Ratio ex duplici capite deſumitur, ex obligatione, quam Sponſæ qualitas mulieri Chriſtianæ impoſuit procurandi viri ſui ſanctificationem, & mediis, quæ in ipſo conjugii ſui ſtatu adinvenit, ut conſilium hoc exequeretur.

Preces, & lacrimæ S. Monicæ fuerunt cauſſa cõverſionis filii ſui.

Theologia tres magnas veritates nos docet: quarum prima eſt, ad inſignem peccatorem convertendum opus eſſe non vulgaribus gratiis, ſed gratiæ miraculis, ut olim ad S. Paulum convertendum; Altera Deum communiter loquendo eas orationibus tantum concedere, quas Sancti pro peccatoribus effundunt. Hoc medium eſt, ad hunc finem coordinatum. Ita, S. Auguſtinus ait, gratia, quæ S. Paulum convertit, fuit effectus orationis S. Stephani. Tertia veritas eſt, Deum parentum precibus potiſſimum concedere gratias neceſſarias ad filiorum converſionem, atque ſalutem. Cur? quia petunt ex officio tamquam cauſſæ ad filiorum ſuorum prædeſtinationem conſtitutæ; & Deus facilius exaudit preces, quas ad hunc finem effundunt. Ex hoc principio arguimus, preces & lacrimas S. Monicæ cauſſam fuiſſe converſionis S. Auguſtini; quia illa impetravit a Deo miraculoſam hanc gratiam, qua factum fuit ut triumpharet de illius peccato, & filii converſio magnificentiſſimum eſſet elogium quod ad parentis hujus gloriam poſſit afferri.

Quinam ſit conjugii finis in mente Dei.

Cum nemo unus inter Chriſtianos ignoret, quinam ſit finis conjugii, & quodnam fuerit conſilium Dei illud in ipſis Mundi primordiis inſtituentis, videlicet ſibimet filios adquirere, & Eccleſiæ ſuæ, quam Salvator deinceps erat inſtituturus: hac mente parentes quoque liberos ſuos educare tenentur, ut poſtquam illis naturalem vitam largiti fuerint, procurent aliam moralem, atque Chriſtianam, ut illos adducant in viam ſalutis; ita enim, quemadmodum cum S. Paulo diximus, ſe ipſos

ſalvos

ſalvos facere poterunt. Altera autem hæc vita, quam filiis ſuis parentes debent procurare, non eſt ſimilis priori, quæ in inſtanti, & tota ſimul communicatur; ſed hæc multum requirit temporis, multum curarum, ſollicitudinum, & ſæpe etiam magnos ſumptus atque labores. Sed per has eaſdem curas, atque labores, parentes ſe ipſos debent ſanctificare. Monica profectò hanc magni momenti obligationem intellexerat, & licet naturæ vox non ſatis illam hac de re edocuiſſet, præceptum, quod propoſuit Deus omnibus Chriſtianis per os Sancti Pauli infidelibus deteriorem affirmantis eum, qui huic deeſt officio, & ſenſus pietatis, quibus erat imbuta, procul dubio ad illud explendum impuliſſent; & enixe concupiiſſet ſeſe omnino devovere Deo in perfectiori ſtatu, quam conjugio; verum ſe in hoc implicitam videns per ordinem Providentiæ filium ejus deinceps convertere volentis in graviſſimum Eccleſiæ Doctorem, ſecuta in omnibus eſt Apoſtoli præceptum, quin cor ſuum Deum inter, & mundum in educatione filii ſui Auguſtini partiretur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Matrimonii Sacramentū inſtitutū ad Sanctificationem parentum, & familiarū.

Qui ad conjugalem ſtatum vocati ſunt, ex Monicæ exemplis diſcere poſſunt, quomodo ſtatus hic queat conſecrari. Hoc gratiæ Sacramentum eſt, hoc medium Salutis, cui illorum annexa eſt prædeſtinatio. Ita debent amorem ſuum ad ſupernaturalem ordinem attollere, mutuò ad utriuſque ſalutem cooperando. Monicæ perſuaſum erat de hac veritate. Nupſerat illa quidem viro nobili, cui tamen duæ pravæ inerant qualitates; quæ conjugii felicitati, & ſanctitati adverſari videbantur. Religione infidelis erat; moribus autem & ingenio violentus, & iracundus. Quam monſtruoſæ nuptiæ infidelis cum Sancta? Leonis cum columba? Quis crediſſet unquam connubium hoc aliquando felix Monicæ futurum? Quis ſibi non perſuaſiſſet eumdem diem, qui huic puellæ virum dedit, daturum quoque illius tranquillitati tyrannum, & fortaſſe fidei ejus tentatorem? Tamen divina Providentia, quæ in cælo matrimonia conſtituit, antequam in terris celebrentur, hoc ita diſpoſuerat, ut faceret veluti duplicem gratiæ communicationem: nam pravum ingenium, & infidelitas Patritii fuerunt argumentum patientiæ, & zeli Sanctæ noſtræ; ſed hæc patientia, & hic Monicæ zelus fuere medium converſionis, & ſalutis Patritii. *Biroat.*

Qualis eſſet vir, quem Monica duxit idolorū cultor, & flagitioſus non ſecus ac Dii, quos venerabatur.

Non ſine peculiari divinæ Providentiæ numine Monica nupſit Patritio, qui longe ab illius moribus abhorrebat. Patritius mancipatus erat Ethnicis ſuperſtitionibus, quarum contemptibiles reliquiæ vigebant adhuc propter fortium quorumdam ſpirituum pertinaciam, qui ſibi gloriæ vertebant aliorum viis non inſiſtere: & Monica ab infantia ſua in Chriſtiana religione alita, & educata fuit, quam illius parentes profitebantur, & quam vitæ ſuæ ſanctitate decorabant. Patritio inerant deorum, quos colebat, vitia; & juxta S. Cypriani phraſim, tantum aberat, quod ea vitia putaret, ut haberet illa tamquam virtutes exemplis deorum conſecratas: *Fiunt miſeris religioſa delicta.* Hinc ejus impudicitia, ac furor, quibus maxime obnoxius erat, teſte Auguſtino. In Monica omnes florebant virtutes, quas Chriſtiana Religio inſpirare poteſt mulieri; ſed præſertim modeſtia, & lenitas eminebant. Ullane fuit unquam major cultus in duobus conjugibus diſparitas? Attamen, Deus, tu illos alterum pro altero feciſti; Voluiſti, ut Patritii mores Monicæ patientiam exercerent, & Monicæ patientia Patritii flagitia corrigeret; talis enim eſt ratio Providentiæ tuæ in confuſione bonorum, & malorum, qui ſimul in terris verſantur: *Omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per eum bonus exerceatur. P. Martineau.*

Dolor, & moleſtia vivēdi cū viro infideli.

Patritius, quemadmodum animadvertimus, Ethnicis infectus erat ſuperſtitionibus, & iis implicitus flagitiis, quæ errores illi parere poterant. Infidelis Deo ſuo, infidelis etiam erat uxori, & cum alteri minime obſequeretur, nullam alterius rationem habebat. Quodnam patientiæ hoc erat in Monica experimentum! Acerbius eſt præter quam quod exiſtimetur, arctiſſimis conjungi vinculis cum iis, quos profanus cultus a Domino ſecernit, cum eorum præſentia ſemper oculis noſtris exhibeat imaginem injuriæ, quam inferunt illi, donec amor erga ipſum efficit, ut propter eamdem graviſſimo dolore conficiamur. Verum quidem eſt Monicam non ignoraſſe uxorem fidelem eſſe poſſe inſtrumentum, quo divina utitur miſericordia ſecundum S. Pauli doctrinam ad virum infidelem ſub fidei jugo cogendum; verum noverat etiam patientiam tutiſſimam eſſe viam, qua ad hanc gloriam pervenitur; omnia in diſcrimen vocari, cum trahi ſinimus zeli nimium ardentis, ac feſtinantis motibus; correptiones importune adhibitas acrimoniam, atque pertinaciam relinquere in illis, quos in ſaniorem partem ſtudemus pertrahere; ac demum nunquam efficacius Evangelium perſuaderi, quam cum bona fide exercetur coram illis, qui oculos luminibus illius aperire detrectant. Intelligebat quoque hæc axiomata vera quidem eſſe erga illos, quibus debetur reverentia, & quos auctoritas ſua magis ſenſibiles, ac delicatos reddit; convicium paſſim putant licentiam, quam ſibi aliquis vindicat illos erudiendi de veritatibus, quas oderunt. Hæc cauſſa fuit, S. Auguſtinus ait, propter quam Monica iniit conſilium Patritii erroribus bellum inferendi, non quidem ſermonibus, qui illi poſſent diſplicere, ſed factis, quæ illum erant ædificatura, ſimul conciliians ea omnia, quæ & reverentiæ erga virum ſuum, & ejuſdem converſionis deſiderio debebat: *Tradita viro, ſervivit ei, tamquam Domino: & ſategit eum lucrari tibi, loquens de te illi moribus ſuis. Pater Martineau.*

Quo animo affecta videret viri ſui injuſtitiā & infidelitatē, & qua patiētia hanc ferret injuriam.

Quid dicam de patientia, qua Monica perferebat injuſtitiam, quam conjugis ſui licentia illi inferebat? Hoc noſtis: delicatiſſimum eorum negotium, qui legitimi fœderis vinculo conjuncti ſunt eſt, ſine diviſione ulla invicem gratiam poſſidere. Minima quæcumque labes huic interſeritur rei, nunquam deeſt, quominus in altero pariat ſuſpiciones, zelotypias, quæ velut per gradus adducunt ad murmur, ad ſimultatem, ad graviſſima diſſidia. Monica quidem non omni ſenſu carebat injuriæ ſibi illatæ: ægre vidit flammas illegitimas ſuccenſas in eo corde, quod nonniſi ipſius ardore incaleſcere debuerat; & uxor pudiciſſima, modeſtiſſima, & fideliſſima earum quotquot ſunt, fuerunt, erunt, non ignorabat ſibi jus eſſe potius, quam alteri cuipiam reciprocam adhæſionem a viro ſuo repetendi. Sed nunquam minus fuit patiens in ſuſtinenda, quæ ſibi inferebatur, injuria, quam eſſet in eadem cognoſcenda oculata. Domine ajebat illa dirigens ſuſpiria ſua ad Deum, cui uni anguſtias cordis aperiebat in ſecreto orationis ſuæ: Patritius nondum eſt tuus, & illum ſuſtines: æquum ne eſſet, ut ego obſequerer dolori, quem ejus in me infidelitas parere poteſt, cum ille ſanctiſſimis legibus tuis ſit rebellis, ac ſurdus naturæ univerſæ, quæ illum urget, ut te veneretur, & colat? Thus adolet idolis, quæ cæca ſuperſtitio tuis invexit altaribus; egone ſuccenſere debeo, eo quod aliis diſpertit amorem ſuum, quem mihi totum promiſerat? Numquid jura tua meis non ſunt ſanctiora, & minime temeranda? Si pateris, patienterque ſuſtines eum ſuis erga te officiis deeſſe, nonne æquum eſt, ut illatam mihi injuriam diſſimulem, tranquille illud expectans momentum, quo jus tuum tibi reparandum eſt, ut videam injuriam, qua ego afficior, ſimul reparari? Hujuſmodi erant Sanctæ Noſtræ ſenſus, teſte filio ejus Auguſtino: *Ita toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet ſimultatem: expectabat enim miſericordiam tuam ſuper eum, ut credens in te caſtificaretur. P. Martineau.*

S. Monicæ prudētia in corrigendo pravo ingenio viri ſui.

Monica recens in novum hunc ſtatum integra, facile illius munera, labores, ac pœnas aſſecuta eſt: Primum quidem viri ſui ingenium explorare ſtuduit. Impudicitia, & iracundia dominabantur illi; quorum alterum diſſimulatione, ac patientia corrigere, alterum vero modeſtia ac lenitate ſua frangere adniſa eſt. Licet iracundus, ac violentus eſſet Patricius, Monica iniit conſilium, ne aperiendi quidem os ſuum, ut reſponderet irato; voluntates illius prævertere, & ea omnia, quæ viro placitura credebat, occupare ſatagebat. Cum quædam adoleſcentulæ ex neceſſariis ſuis cum illa clanculum conquererentur de injuriis, quas a viris ſuis perferebant: cavete, dicebat illis, ne culpa veſtra illas promereamini: nihil ad extinguendum ignem iræ, & ad mulcendum moroſum viri ingenium aptius eſt, quam ſilentium obſequens, quam oris habitus humilis, & ſerenus, quam uxoris patientia, lenis & perſeverans. Obſequium viris noſtris debitum non patitur, ut illis obſiſtamus; matrimonialis contractus ſemper oneroſus eſt, nobiſque irrogat neceſſitatem ſuſtinendi patienter eorum vitia. Si ſciretis tacere, plurimas vobiſmetipſis curas ac moleſtias eriperetis. Sapientibus hujuſce monitis cura illius reſpondebat. Licet iracundus, ac furens eſſet Patricius, illum patientia ſua, & lenitate mulcebat, ſibique conciliabat Monica. Suis attenta muneribus domeſticæ rei invigilabat; pietatis exercitia, & familiares curæ totum illius tempus occupabant; operum ceſſatio in orationibus impendebatur, & quamprimum nacta eſt conſolationem videndi, quod in domo, quæ tota fere Ethnica erat, ſpiritus omnino Chriſtianus dominaretur. Socrus illius nurus ſuavitate illecta hanc delicias ſuas eſſe duxit. Monica brevi totam civitatem in ſui admirationem arrexit: nonniſi de pace, quæ penes illam erat, fiebat ſermo, & hæc fama tantam illi comparavit celebritatem, ut per ſapientiam ſuam evaſerit litium omnium arbitra, omniumque familiarum pacatrix. *P. Croiſet in Exercit. Aſcetic.*

Quanta fuerit S. Monicæ patiētia, & quæ illius exercendæ occaſiones.

Neceſſe non eſt, ut multa loquar, ut intelligatis, quantum Sanctæ noſtræ moleſtum fuerit vivere cum hujuſmodi viro, qualis erat Patricius. Quænam crux, nonnunquam eſſe dicitur, debere morem gerere illi, qui nonniſi ſuæ paret libidini, ſuiſque indulget cupiditatibus! Huic, quantum fieri poteſt, obſequi, atque ad unguem in omnibus placere velle illi, qui elatus, & durus eſt tibi! Inquirere ea omnia, quæ jucunda poſſunt accidere, te mortificare ſatagenti, & jugiter ob oculos habere objectum, quod amare teneris, tunc etiam cum vitæ ſuæ aſperitate, ac ruſticitate odio tuo digniorem ſe præbet! Hoc tamen in ſtatu plurimos annos Monica verſata eſt. Patricio, S. Auguſtinus inquit, ſatis bonus erat ingenii fundus, ſed fundus hic prava educatione fuerat corruptus. Ita, vehemens illa animi perturbatio, quam exaſperant remedia, correctiones irritant, & contradictiones alunt, & muniunt; cæca illa cupiditas, quæ ſe ipſam dumtaxat audit, quæ pro ſe jus, ac rationem ſtare ſemper credit, & quæ nonniſi male merenti gratiam confert; ira, inquam, in Patricii anima dominabatur. Ne putetis, a me hoc loco vobis deſcribi mala, quæ illa pariebat; neque enim Satyrico ſale virum perfundere meum eſt, ſed illius Sanctæ Uxoris elogium texere. Quomodonam hæc ſe geſſit tot in occaſionibus, quæ per-

perturbaſſent; parum eſt; quæ ad extremum redegiſſent tot aliorum patientiam? Modeſtum, & obſequens ſilentium tota erat Monicæ defenſio, ſilentium, quo ſuffocabat omnes exprobrationes, quas ingerere potuiſſet in eum, qui cauſſa erat dolorum ſuorum, & omnes querimonias, in quas erumpere potuiſſet apud eos, a quibus ſolatium aliquod expectare potuiſſet. Cum illo tunc tandem loquebatur, cum in ſe reverſus erat, & cum jam placatus cognoſcere poſſet errorem ſuum: neque cum aliis verba faciebat, niſi ut eas domeſtica infortunia perferenda hortaretur ea animi mediocritate, quæ ſuam imitaretur. Ita, Domine, Patricii ſcelera Monicæ patientiam exercebant; quæ quidem pars erat conſiliorum tuorum; ſed volebas etiam, ut Sanctæ hujus feminæ patientia Patricii flagitia corrigeret. *P. Martineau.*

S. Monica tandem lenitate ſua viri ſui converſionem operatur.

Nemo umquam melius, quam S. Monica oſtendit verum eſſe illud Filii Dei verbum, patientiam eos fructus producere, quos ex fidelibus expectat, ſumma ſpiritus æquabilitate ſuſtinens viri flagitia, quæ ipſa corrigere non poterat. Ea tandem correxit, & Patricius illectus uxoris ſuæ ſuavitate, ac virtute, non potuit amplius dubitare, quominus illa eſſet in bona Religione; agnovit errores ſuos, eoſque deteſtatus eſt; factus eſt pudicus, modeſtus, temperans; & Sancta noſtra tandem hoc gaudium conſecuta eſt videndi illum ſuæ pietatis imitatorem, quam adeo pertinaciter impugnaverat inhærendo ethnicis ſuperſtitionibus ſuis, ſeſe ſubjicientem juribus, quæ per ſuam vivendi licentiam violaverat; aliquid conferentem quieti illius, quam ſuis furoribus turbaverat. Denique ille errores ſuos confeſſus, eoſque eſt deteſtatus, & perfecte in fide eruditus ſalutari lavacro ablutus fuit. Quodnam fuerit Monicæ gaudium, ubi vidit conjugem ſuum in Chriſtifidelium albo recenſitum, quis dicendo poteſt complecti? Magna pietatis exempla, quæ illi jampridem præbebat, effectu non caruerunt. Patricius factus eſt lenis, humilis, caſtus, & timens Deum, & dicere poſſumus, Monicam tandem conſecutam fuiſſe triumphum, qui eidem tanto ſteterat pretio. Si opera noſtra, S. Joannes Chryſoſtomus inquit, eſſent opera lucis; nubes fatalis, quæ peccatores excæcat, quam cito diſſiparetur, & lucis hujus ope detegerent veritates, quas ignorant! Hoc Patricii converſionem peperit. Sanctæ conjugis patientia illum ita perſtrinxit, ut oculos tandem aperuerit; & rectus ſenſus, quem a natura acceperat cupiditatibus incipiens prævalere, ſine alia doctrina, intellexit Religionem, quæ adeo generoſos ſenſus poterat inſpirare feminæ, quæ ſexus ſui ratione habita valde infirma eſſe debebat, eſſe non poſſe, niſi opus Dei. Intellexit, uxorem, a qua tanta diligebatur conſtantia, cum ipſe illam nullo in diſcrimine haberet, vere mereri amorem ſuum. Intellexit tandem virtutem, quæ numquam inter tot dolorum, curarumque cauſſas defecerat, exigere abs ſe omne genus obſequii; & ille rubore ſuffuſus, quod tandiu in ſuis criminibus vixerat, feſtinavit ingredi vias juſtitiæ illa duce, quam tot annos neglexerat. *Idem.*

De admirabili S. Monicæ vivendi ratione.

Talis eſſet conſolatio veſtra, mortales, qui æternum de illis conqueri audimini, quibus fidem veſtram obligaſtis per vincula Sacramenti, quod ab Apoſtolo *magnum* vocatur *in Chriſto, & Eccleſia*; talis eſſet conſolatio veſtra, ſi uti ſciretis iis rationibus, quas potentia vere Chriſtiana Monicæ ſuaſit, quin erumperetis in eos impetus, ac furores, qui æque & ſtuporem, & ſcandalum mortalibus inferunt. Suaviſſima pace frueremini, & ſuper eas procellas, quæ ſemper veſtra augentur impatientia, videretis tranquilliſſimam oriri malaciam; nam ubi funeſtorum horum furorum origo reperitur, nihil aliud, quod paſſim in ſæculo uſuvenit, juxta triſtem Salvatoris prædictionem, occurrit, niſi caſtitas languens eo ardore vacua, quo alias erat ſuccenſa, furores, qui ſeparant quod conjunxerat Deus, & nodos infringunt, quos ille concluſerat: quid invenitur, niſi nugæ perperam exaggeratæ, zelotypia nimia, præceps reſponſio, importuna correctio, tepor neglectus? Hinc ſimultates, contemptus, acerbitates, odia. Ubi ita mortales affecti ſunt, omnia diſplicent, omnia lædunt, omnia negotium faceſſunt. Ut temet probes, ab altero conjuge jus, ac rationem abeſſe putas; & quod re adhuc integra levis momenti cenſetur, nonnumquam illuc procedit, ut putes penes te rationem adeſſe ſeorſim vivendi; & ſi aliquam externam ſpeciem excipias, quæ urbanitatis cauſſa ſervanda eſt; nihil eſt, quod tibi non licere arbitreris. Longiſſime abfuit Monica a minima hujuſmodi labe, & ſi ulla umquam in illa hujuſmodi imbecillitas fuit, hæc haberi poteſt pro ſublimi virtute earum, quæ ſunt in eodem ſtatu implicitæ. *Idem.*

Monica poſt Patricii viri ſui converſionem Auguſtinum filium ſuum convertere adniſa eſt.

Dicere poſſumus Patricium primum fuiſſe Monicæ triumphum; ſed illi alterum Eccleſiæ longe utiliorem reſervabat Dominus in perſona filii ſui Auguſtini; qui natu major erat inter filios, & cujus converſio plurimis matri lacrimis ſtetit. Pia hæc mater perfecte cognovit qua cura illam perſequi deberet, eamque ad ſe unam pertinere, homo enim illius generis, qualis vir ejus erat in Ethnicæ ſuperſtitionis tenebris educatus, quin unanimi cum illa conflatoque conſenſu ad hoc adeo laudabile conſilium operam adderet, facilius corrumpere potuiſſet felix ingenium Auguſtini, in quo illa admirabilem deprehenderat mentis, ingeniique vim, & perſpicuitatem ſupra ætatem, ac ingenium ſuperius, quod ſpem eidem injecerat futurum, ut in magnum virum evaderet, ſi ſibi e voto contigiſſet, ut illum ad virtutem converteret. Sollicitis ſanctiſſimæ parentis curis non ſtatim obſecutus eſt Auguſtinus; re enim vera, exempla, ac inſtituta patris ardenti, & ambitioſo ejus ingenio magis conformia quamprimum pertraxerunt illum in libidines, & in effrænis adoleſcentiæ licentiam. Heu! quodnam triſtitiæ doloriſque argumentum huic matri, quæ nulli pepercerat curæ, ut piam daret educationem filio, quem unice diligebat, tamquam chiſtiana mater, mater, cui animæ ſalus erat antiquior, quam fortunæ licet ampliſſimæ magnitudo. Conſcientiæ teſtimonium nihil habebat quidem, quod illi exprobraret hac in re, & illam ab omni culpa vacuam probare poterat coram Deo, & hominibus; non autem diſpenſare eam poterat quominus perſiſteret ingeminare curas pro filio, ſuaſque apud Deum deprecationes. Præcepta, exempla, monita, minæ, pollicitationes, blanditiæ, omnia ſuo tempore, & loco tentata ſunt; & nihil prætermittit eorum, quæ aliquam efficere poterant impreſſionem in animo adhuc tenero Auguſtini; & Auguſtinus fortaſſe cui optima erant ſtudia, inter aliquot parva ex eo tempore matris inſtituta fuiſſet ſecutus, niſi paterna exemplis, & externa conſuetudine roborata prævaluiſſent. Nam præterquamquod impreſſionem, quam mali exemplum efficit in filiis, jugis & efficax eſt, naturæ quoque accedente corruptione, quæ ultro in vitium cerea eſt, communitur. Verum quid ergo? Inutileſne erunt, ac omni fructu carebunt aſſiduæ curæ, conſtans attentio, monita ſalutaria? Hæc extitit cauſſa primorum Monicæ dolorum; funeſta videlicet experientia cognoſcere, filios potius vitia parentum ſequi, quam ex eorum virtutibus proficere. *Auctor Sermonum in omnia argumenta. &c.*

Auguſtinus propter magnum ingenium magnamque mentem in mundo niteſcere potuiſſet.

Magna talenta, quæ Auguſtinus ab ipſa natura ſortitus fuerat, facilem illi poterant aperire viam ad ampliſſimas in mundo dignitates. Spiritus reipublicæ, cui apud Romanos diutiſſime viguerat, nondum extinctus erat, & eloquentia validus adhuc titulus erat, ut quis ad primas Imperii dignitates eveheretur. Auguſtinus ſuam cum populorum plauſu oſtentabat, & in Cæſaris aula jam notus ſumma celebritate eo uſque pervaſerat, ut ad Panegyriſtæ Ceſarei munus eligeretur; cumque excelleret ſpiritu ad hæc maxime idoneo, non injuria ſpem hanc alere poterat futurum, ut adeo fauſta principia illum ad majora promoverent. Sed hæc omnia mundi bona, quæ filii ſpem fovent, matri ejuſdem ſolatium afferre non poſſunt. Quicumque greſſus extra ſalutis viam profertur illam graviſſimis torquet doloribus, dolores partus exæquantibus. *Toties eum parturivit, quoties a Deo deviare cernebat.* Quot aliæ id patienti, & æquo ſuſtinuiſſent animo, non expertæ amaritudinem, quam in matris corde gignere debet libido filii in omnem licentiam effuſi? quia nimia cum voluptate guſtaſſent blanda orientis fortunæ principia. Sed Monica cognoſcebat & officium, quod maternitas ex illa quærebat, & auctoritatem, quam eadem ſibi conferebat. Illi perſuaſum erat, alterum quidem magnum requirere zelum pro Auguſtini Sanctificatione; alteram vero permittere, ut zelo ſuo omnem fervorem, quem habere poterat, adjiceret. *P. Martineau.*

S. Monica poſt obitum viri ſui bonis operibus ſe totam adjunxit & filiis inſtituendis.

S. Monica poſt viri ſui obitum incubuit ad eas ſibi comparandas virtutes, quas S. Paulus in Viduis requirit. Solitaria, mortificata, reliquis creaturis quodammodo inviſibilis dies ſuos traducebat in bonorum operum exercitationibus, omneſque curas ſuas impendebat in filiorum ſuorum, præſertim vero Auguſtini inſtitutione; acre enim hujus ingenium efficiebat, ut illa omnia metueret; quippe objurgationes vim non habebant cohibendi impetum ardentis naturæ, neque illius propenſionem in omnes libidines. Magno quoque mœrore confecta fuit, ubi audiit illum in Manichæorum errores incidiſſe, qui impudicitiæ, ac licentiæ morum favebant. Non ceſſit tamen, & jugiter a Deo jejuniis, precibus, & eleemoſynis, omnibuſque bonorum operum generibus petens filii converſionem, cujus ſalus erat illi curæ, illum admonere non ceſſabat, ne vitiis ſeſe ingurgitaret. Auguſtinus ſuis tantum cupiditatibus obſequebatur; matris optimæ lacrimæ illum quidem movebant, ſed inordinatæ juventutis inordinatum ignem non extinguebant. Illa has noctu, & interdiu fundebat coram Domino, ut illius miſericordiam erga filium inflecteret, & precibus ſuis conſociabat graviſſimas auſteritates; ſed voluit Deus, eam diu omni conſolatione, & ſpe carere. Omnes Monicæ labores erant inutiles; prava Auguſtini ſtudia prævaluerunt monitis matris ſuæ; ubi adolevit ætate, omnibus ſe voluptatibus, erroribuſque mancipavit, & in mali tanti acceſſionem ſimul factus eſt hæreticus, & impudicus. Tranſegit inter hæc flagitia ſuam adoleſcentiam, & virilis ætas, quæ ſæpe alios corrigit, Auguſtini mala deteriora, & propiora periculo reddidit. Perverſi ejus affectus in illius anima pepererant habitus pravos; hi adeo oneroſas catenas effecerant, ut illas geſtare non poſſet, & adeo fortes, ut illos non poſſet amplius infringere. Incedebat tamquam mancipium poſt Dæmonem de illius libertate triumphantem, cumque non haberet amplius niſi leves cogitationes, & invalida converſionis deſideria, omnem ejuſdem ſpem auferebat illis, quibus cognitus erat. Monica interea lacrimis manabat, emittebat ſuſpiria, jugeſque fundebat Deo preces pro filii ſalute. *P. Croiſet in Exercit. Aſceticis, & P. Senault Oratorii.*

Quo dolore confecta fuit Monica videns filium in omnem licentiam effuſum, & in hæreſim lapſum.

Quodnam recens doloris, atque triſtitiæ argumentum Monicæ fuit videre filium tanta cura educatum, a doctiſſimis Præceptoribus excultum in errorum, vitiorumque abyſſum prolapſum; cujus mens hæreſi, & cor nequiſſimis cupiditatibus corrupta de tenebris in tenebras, de præcipiti ruebant in præceps, quemadmodum ille in confeſſionibus ſuis confitetur.

Heu! quid? Numquid tot ego ſollicitudinibus acta ſum, ad fidei rudimenta filio tradenda, ut illum mox omnes fidei ſenſus jugulare conſpicerem? Num in Eccleſiæ ſinu eum alui, ut ejuſdem fieret perſecutor? Num illum de veritatibus adeo Sanctæ Religionis erudivi, ut aliquando illas tanta pertinacia impugnantem viderem? Si illum præmatura morte in ipſa infantia mihi raptum vidiſſem, Divinæ Providentiæ conſilia adorarem, eo quod illum mihi abſtuliſſet fortaſſe in meam utilitatem, & ut me a terrenis rebus omnibus divelleret: ſed illum extra Eccleſiam videre, cogitare me ſinu meo illum geſtaſſe, qui non videtur natus, niſi ut illam impugnaret; intueri illum, quem ad majorem Dei gloriam educabam, contra Deum ipſum vexillum attollere, & illius infeſtiſſimum hoſtem evadere; hoc mihi omnem aufert conſolationem. O Deus! Numquid me ſuperſtitem vis, ut ſiam exemplum patientiæ in graviſſimo dolore, quo matris cor confici valeat? Tales erant querelæ, ac ſenſus piæ matris, quæ in jugi cordis amaritudine trahebat animam. Hactenus fleverat filii flagitia, tamquam hominis in omne nefas ruentis, & ſperabat, ætatem aliquam allaturam eſſe medicinam: ſed illum modo luget tamquam hæreticum; cum enim mens illius non minus eſſet perverſa, quam cor, nullam habebat amplius ſpem, niſi in Dei miſericordia, quæ una illum ex abyſſo poterat revocare. Quamobrem non recedebat amplius a Templis, & altaribus, ad quorum pedes juge offerebat ſacrificium precum, ac ſemet offerebat tamquam victimam, ut averteret Dei iracundiam, quæ non poterat ſeverius in hac vita in Auguſtinum animadvertere, quam illum tradendo in deſideria cordis, & in errores mentis ejuſdem. Verum dici quoque poteſt, quo magis filius ſuis criminibus fœdabatur, eo magis matrem ſeſe lacrimis expiaſſe; quo magis ille per vitium, erroremque a Deo recedebat, eo magis illam ad Deum acceſſiſſe per inconcuſſam confidentiam, vivamque fidem: quo magis filii Caritas tepeſcebat, eo magis teneræ Matris caritatem inflammatam fuiſſe, quia dolor ejus effectus erat ſimilis illi, propter quem tabeſcebat Propheta: *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam.* Ipſa etiam jejunia, quæ ſervabat, & eleemoſynæ, quas erogabat, quantum vires ſuæ pati poterant, non alio ſpectantes, niſi ad converſionem peccatoris, puriſſima caritate animatæ erant; & ita pia hæc vidua ſe ipſam ſanctificabat, Deum pro filii ſui ſalute, & converſione ſollicitans. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ex quo S. Monica vidit Auguſtinum in vitiis & Manetis erroribus demerſum, non ceſſavit cælum urgere pro illius converſione.

Ex quo Sancta Vidua vidit filium in interitum ruere, & corruptæ naturæ ſuæ cupiditatibus parere, illum plorare cœpit, & lacrimis ſuis ſuſcitare adniſa eſt, qui per peccatum ſibi mortem conſciverat. Nulla temporis momenta ſiccis traduxit oculis, & viginti annorum ſpatio vel præter omnes parturientis dolores ſuſtinuit. Quod martyrii genus, ſeu illius vehementiam, ſeu diuturnitatem ſpectemus! Auguſtinus ſemper peccat, & Monica ſine ulla patitur intermiſſione. Novis criminibus irritat Deum; illa vero recentibus lacrimis Deum mulcere conatur, & monita ſuis fletibus addens de tumulo ſtudet eruere illum, qui in peccatis alte ſepultus erat. Quot doloribus ſtetit impudicus hic filius matri ſuæ! quot ſuſpiria fruſtra in cælum emiſit, ejus converſionem impetratura! quot cruciatus paſſa eſt, ut pertinacem hunc mortuum revocaret ad vitam! Pietas ſua illi inexhauſtum lacrimarum fontem ſuggerebat, cor ejus dolore ſaucium jugiter ex oculis ejus manabat: & per ſacrificium hoc innocens, ac triſte ſatagebat expiare ſcelus filii ſui, & Dei ſui lenire iracundiam. Curæ, quibus pia hæc mater affligebatur, lacrimæ, quas fundebat, ſuſpiria, quæ in Cælum ejaculabatur ad petendam a Deo filii ſui converſionem, nullum habebant finem. Nullum erat templum, quo non ſe conferret oratura, nullum altare, ubi illius juſſu Sanctiſsimum non offerretur Sacrificium ad eumdem finem, nullæ Sanctorum Martyrum reliquiæ, a quibus auxilium non poſceret. Ad Sacerdotes, & Epiſcopos confugiebat, ut negotium hoc illorum precibus commendaret; ita ut dici poſſit poſt tot motus, quibus dies noctesque ſe exercuit pro converſione Auguſtini, ſi tandem voti damnata fuit, hoc proculdubio ſuis curis, lacrimis, atque ſuſpiriis debere. *P. Senault Oratorii, & Biroat.*

Quamvis illa perfecte in Deo confideret, nullā neglexit humanā artem ut votorum ſummam conſequeretur.

Sancta noſtra ita in Cæleſti auxilio confidit pro filii ſui converſione, ut tamen nullam humanarum artium intentatam reliquerit, quæ illi occurrebant, ut voti damnaretur. Omnes aditus cordis ejuſdem exploravit, ut aliquod vitæ verbum infereret, quo ſeſe tandem colligeret. Illum miſit ad omnes qui ſanctitate, ac doctrina præſtabant, ad illos quidem, ut retraheretur a ſordibus criminum, ad hos vero, ut ab erroribus revocaretur. Parum intereſſe putavit, unde fieret exordium; ſibi enim perſuadebat fore ut ſi emergeret ex libidinum cœno, vitamque magis frugi vivere poſſet, quamprimum abdicaturum eſſe pertinaciam, qua mordicus opinionibus ſuis inhærebat; & viciſſim, ſi ad fidem revocari poſſet, quam primum voluptatibus extremum vale dicturum. Nam ſicuti fides, & nefarium vivendi genus diu ſimul eſſe non poſſunt; ita vera virtus non poteſt diu ſimul cum pertinacia contra fidem commorari. Hac de cauſſa Auguſtinum hinc modo, modo illinc aggreditur, procurat illi ſanctiſſimorum, doctiſſimorumque virorum converſationem, ſperans eorum exemplis, & ſermonibus commoveri poſſe, eo uſque, ut inſignis Præſul ab eadem exoratus, ut cum filio ejus iniret neceſſitudinem; non niſi prophetico afflatus ſpiritu dixerit: *Conſolare, mater afflicta; fieri non poteſt, ut filius iſtarum lacrimarum pereat;* (*Lib. 3. Conf. cap. 12.*) (*Lib. 3. Conf. c. 12.*) quod ipſum confirmatum fuit ſuaviſsima viſione, quæ illi filium ſuum ſub eadem lege in qua ipſa repræſentavit.

Timor, ac dolor quo confecta fuit videns filiū hunc in extremis laborantem, cogitans illum Eccleſiæ inimicū obiturum.

Cum libidinoſus hic filius in morbum incidiſſet, pia mater preces, lacrimaſque ſuas ingeminavit; cælumque tot votis, atque ſuſpiriis fatigavit, ut vi eorum peccatori huic corpori valetudinem largiri debuerit. Tantum hoc miraculum illi fuit veluti pignus quoddam ſalutis filii ſui, ſibique pollicita eſt futurum, ut quandoquidem Deus illi corporis valetudinem bonam reddiderat, animæ quoque ſalutem redderet. Sed quis aſſequi dicendo poteſt dolores extremos, quos Monicæ peperit timor mortis Auguſtini, dum morbo conflictaretur; & quo mœrore obruta fuerit, ubi cogitavit illum hoc in ſtatu moriturum, & in nullam reditus ſpem animam, & corpus perditurum? Mutuemur verba filii ſui, ut illius ſenſus explicemus; ingrediamur in Monicæ cor, ut aperiamus æquiſsimos ejus terrores, quibus Auguſtini ſui interitum pertimeſcebat: *Hoc vulnere ſi feriretur cor matris, nunquam ſanaretur: nam majore me ſollicitudine parturiebat ſpiritu, quam carne pepererat.* (*Lib. 5. Conf c. 6.*) Fateor, Domine, ſi mihi vitam ademiſſes eo tempore, vulnus, quo matris meæ cor fuiſset ſauciatum, nullam paſſum fuiſſet medicinam; neque ſuſtinuiſſet illa dolorem, propter quod elata fuiſſet. Scis enim Domine illam me parturiiſſe ſpiritu majori ſollicitudine, ac dolore, quam me pepererat carne, & illi nihil antiquius fuiſſe, quam me videre ex erroribus, & impudicitiis meis emergere, ut ad officium, Eccleſiamque tuam tandem aliquando redirem. *P. Senault Oratorii.*

Fructus quos nuptæ retrahere poſſunt ex Monicæ curis pro filiorum educatione.

Monicæ ad filium ſuum monita magno eſſe poſſunt exemplo patribus, matribuſque pro filiorum ſuorum educatione. Vos, quorum Deus thalamis benedictionem contulit, ex cura, quam geſſit Monica Auguſtini ſui, diſcite, quænam a vobis gerenda ſit filiorum veſtrorum. Ne credatis Deum hic vos benedictionibus cumulaſſe, ut veſtris ſatisfaceret cupiditatibus, ſed ut gignatis Sanctos; fidelitati veſtræ Divina Providentia eorum ſalutem committit, eorumque prædeſtinationem. Vult Deus ex hoc filio Auguſtinum efficere, ſed vult vos quoque ad eumdem finem cooperari. Precibus autem potiſſimum ad opus hoc cooperari poteſtis; hoc enim pacto Sancta Monica Auguſtinum ſuum ſalvum fecit. Satis curam geritis filiorum veſtrorum, non abnuo; ſed ut illos in ſæculi vanitatibus erudiatis, atque ut in mundi viis ambulent. Matres docent filias ſuas officioſa verba; urbanitas quidem vituperanda non eſt, ſed optandum eſſet, ut illæ nonnumquam de Deo colloquerentur, & fatagerent, ut filii fidei præcepta ediſcerent. Pro illis quidem aliquando precibus cælum fatigant, ſed tantum in neceſsitatibus. Si filius laborat morbo, ſexcentæ funduntur preces, ſexcenta nuncupantur vota: hæc rationabilis quidem oratio eſt, licet illi cupiditas quædam accedat: ſed ſi vobis nuntiatur filium veſtrum in omnem libidinem effuſum eſſe, filiam veſtram parum eſſe pudibundam; ibi preces melius impenduntur ad converſionem filii, & ſalutem filiæ obtinendam; ſed ad hæc non advertitur animus, & hoc domus veſtræ opprobrium erit, & fortaſſe vos ipſæ eritis cauſſa interitus filiorum veſtrorum. Quam tutius eſt ſequi piæ hujus matris ſenſus, ut fiatis participes gloriæ, quæ illi defertur, eo quod Auguſtinum converterit! *Biroat.*

S. Monica quocumque ſequitur hunc filium rebellem gratiæ, & fugientem ab ea ut importunis ejuſdem curis ſe eriperet.

Monicæ caritas erga filium non paſſa eſt, ut illius obliviſceretur. Illum quocumque ſubſecuta eſt; & quo longius Auguſtinus recedebat a Deo per ſcelera, & flagitia, eo magis ad illum pia mater accedebat gemitibus ſuis, & conabatur illum ad miſericordiam flectere precibus, atque ſuſpiriis. Tamen quamvis optimam parentem diligeret, nullo in diſcrimine habebat illius monita, & lacrimas. Pertæſus inſolentiæ diſcipulorum Carthaginienſium, ubi Rethoricem tradebat, mare traducere decrevit, & Romam ſe conferre, ubi majori cum gloria & fructu artem eamdem ſe profeſsurum ſperabat. S. Monicæ permoleſtum accidit hoc nuntium, veritæ, ne hoc iter differret converſionem illius, cujus quotidie recenti ſpe fulciebatur. Quidquid induſtriæ, & artis adhibuit illa, Auguſtinus noctu diſceſſit, cum illa precibus vacaret; quod effecit, ut illa ſuas apud Deum deprecationes, ſuaque vota geminaret. Navem & ipſa conſcendit filium ſecutura; at ubi ad Romæ portum appulit, audit inde filium ſuum Mediolanum profectum fuiſſe, ubi ſedem ſibi figere decreverat. Ibi Deus teneræ hujus matris precibus lacrimiſque commotus, effudit divitias ſuarum miſerationum erga Auguſtinum; nam cum Sancta noſtra inveniſset illum jam faſtidientem doctrinam Manichæorum, & conſcientiæ ſtimulis agitatum, curavit, ut cum S. Ambroſio colloqueretur, quo Deus uſus eſt, ut huic operi manus extrema admoveretur, ad abſtergendas mœrentis hujus matris lacrimas, & ad coronandam illius perſeverantiam ei concedendo quod unum enixius optabat. Quæ res nos docet ne unquam de cujuſpiam ſalute deſperemus, quantumvis derelictus videatur. Dei Miſericordia ſuas habet artes ad damna ſarcienda, quæ quia ignorantur a nobis, non ſunt minus efficaces; & ſicuti hæc conſtans eſt veritas, Deum aliorum ſalutem precibus aliorum adnectere; per hoc potiſsimum poteſt quilibet in familia ſua Paſtoris, & Apoſtoli munus obire per preces, & opera bona, quæ Deo pro illis offerunt, qui eamdem componunt, quemadmodum egit S. Monica, quæ iterum Auguſtino vitam dedit, quemadmodum ipſe ille fatetur. *P. Croiſet, & Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Lætitia S. Monicæ in converſione Filii ſui Auguſtini per collationes, & narrationes S. Ambroſii.

Colloquia a S. Auguſtino cum S. Ambroſio Mediolani habita illius converſionem tandem perfecerunt. Hæc magna fuit Sanctæ noſtræ conſolatio, videre filium ſuum repente ſenſus, moreſque mutantem; conſolatio tanta, ut omnino oblita fuerit exceſſus mœroris ſui, & dolorum hujus ſpiritualis parturitionis, videns non hominem in mundum prodire, ut dicit Evangelium, ſed animam oriri gratiæ, poſtquam plorata fuerat tamquam mortuam per peccatum. Lætitia hæc adeo juſta, ſancta, & tanta eſt, ut Dei Filio teſte, adjicere novum gaudii incrementum valeat in ipſa omnium deliciarum ſede: *Hoc dico vobis, gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* (*Luc. 15.*) Et profecto ſi metienda eſt gaudii, quod percipitur magnitudo, ex magnitudine boni, quod exoptatur, & demum ex diuturnitate laborum, qui ad illud obtinendum ſuſtinentur: recordamini quem dolorem pia hæc mater fuerit experta Auguſtini ſui converſionem ſollicitans. Recogitate lacrimas, quas effudit, vota & ſuſpiria quæ in cælum emiſit; animo volvite inquietas illas ſollicitudines, quibus negotium hoc procuravit, & curas, quibus agitata fuit, ut voti rea fieret; ac inde intelligetis vota ſua non æquaſſe tantum, ſed ſuperaſſe triſtitiam atque mœrorem ipſius. Ita dicebat illa huic filio, quem iterum pepererat tanta felicitate, ut nihil ipſi optandum remaneret, quam cælum: *Quid hic faciam adhuc, & cur hic ſim, neſcio?* Hæc illa ſunt verba, quæ ab ipſo S. Auguſtino referuntur: *Unum erat, propter quod in hac vita immorari aliquantulum cupiebam; ut te Chriſtianum Catholicum viderem, antequam morerer;* Hodie vero cum cælitus mihi cumulate conceſſum fuerit quod tanto ardore concupivi, evaſi jam ad cumulum gaudii mei. *Cumulatius hoc mihi præſtitit Deus, ut etiam contempta felicitate terrena ſervum ejus te videam.* Deus vota mea ſuperavit, quandoquidem video, te ipſum terrena felicitate poſthabita, temet totum divino cultui addidiſſe. *Auctor Idem.*

Novum lætitiæ argumentū quod habuit Monica in Auguſtini filii ſui converſione.

Prov. 10.

De lætitia Sanctæ Monicæ aliunde judicium ferri poteſt. Si ſapientia, ſanctitas, & aliæ præclaræ dignitates filiorum cedunt in parentum gloriam, quemadmodum Sapiens teſtatur: *Filius Sapiens lætificat patrem*; dicere poſſumus, Auguſtinum converſum, & ſanctificatum non ſolum Sanctam Monicam lætificaſſe, ſed præterea inter ceteras matres glorioſam effeciſſe; quoniam illi debetur, & tota in laudem ejus cedit gloria hujus filii, non ſolum præ ſenſu futuræ illius magnitudinis, quod matribus uſitatum eſt; verum etiam quia teſtis fuit gaudii, quod Eccleſia univerſa in hac converſione præſetulit, videns futurum eſſe, ut hic Vir fieret Eccleſiæ præſidium, & una ex firmiſſimis columnis ejuſdem. Hæc enim fuit totius mundi ſententia quaſcumque partes Auguſtinus amplecteretur, ibi victoriam futuram, vel ſaltem ipſum validum futurum partium earum libramentum. Inde factum eſt, hunc poſt S. Paulum, unum fuiſſe, cujus Eccleſia peculiari ſollemnitate converſionem recolit; quatenus iſti duo illi ſunt, a quibus majus decus acceperit per eorum doctrinam & felicia certamina, quæ pro illa tuenda ſuſtinuerunt. Hujus itaque gloriæ partem omnino ſingularem S. Monica accepit, non ſolum quatenus mater magni hujus doctoris, quem in vitales auras ediderat, ſed etiam tanquam ſecunda mater, quæ iterum illum peperit Eccleſiæ, quæ curis ſuis, monitis, precibus, lacrimis filio cæleſtes gratias promeruit, quæ denique illum lucrata Deo eſt, cui ſæpe illum obtulerat; perinde ac ſi quis animum ſtrenui, ac periti ducis ita moderatus fuiſſet, ut hunc ad patriæ defenſionem induxiſſet, ille ſane hoc facto auctor eſſet acceſſionis virium patriæ, & hoſtibus robur ademiſſet, adeoque auctor evaderet omnium victoriarum, quas reportaret, & omnium eventuum, quæ rempublicam cumularent gloria, & felicitate. Simili pacto Eccleſia debet S. Monicæ progreſſus, quos Auguſtini arma retulerunt, victoriæ quas retulit de Hæreticis, ſunt fructus lacrimarum, & orationum illius, non ſecus ac victoriæ, quæ a populo Dei referebantur de inimicis Moyſi acceptæ, ambas manus in cælum attollenti. *Idem.*

Mors S. Monicæ accidit paullo poſt converſionē S. Auguſtini.

Vix S. Monica vidit S. Auguſtinum converſum, in eo ſtatu, in quo illum concupiverat, cum perinde ac illi reliquum eſſet, quod in hoc mundo faceret, Deus illam evocavit in cælum, & voluit ut illa animam efflaret in manibus optatiſſimi hujus filii, qui viciſsim illam lacrimis proſecutus eſt, & a quo illa poſt obitum ſuum non niſi preces, & ſacrificia petiit, pro iis, quæ tot pro ipſo obtulerat Deo, dum viveret. Relinquamus ergo Auguſtinum in triſtitia, ac dolore ſuo, intentum efferendæ matri ſuæ, donec illius anima a graviſsimis hujus vitæ afflictationibus emundata volat in cælum. Ibi Deus abſtergens lacrimas eorum, qui propter amorem ſuum pertulerunt, ut loquitur Scriptura, conſolatur S. Monicam ob tot labores, quos perpeſſa eſt; ibi preces, jejunia in æternitatem recenſentur, ibi denique quodlibet ex bonis operibus ejus paratam habent coronam meritis reſpondentem, quibus de Deo optime merita fuit procurans S. Auguſtini ſalutem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quam ſuavis fuit mors huic Sanctæ.

Sed me evocat magnæ hujus Sanctæ mors. Quæ mors, Domine, quam ſuavis fuit, & jucunda! quam in oculis tuis pretioſa! Cum jam illi perſuaſum eſſet de nihilo rerum humanarum, iis numquam adhæſerat, & ſola cupiditas videndi optatiſſimum Auguſtinum ſuum converſum, effecerat, ut aliquot annos adhuc vivere peroptaret. Hoc opere divinarum miſerationum abſoluto, exilium ſuum ſuper terram illi factum fuit intolerabile, quia non ſe credidit amplius in terra deſiderabilem. Fili mi, hæc ſunt illius verba; æternæ, ac immortales ſint Deo gratiæ, qui mihi dignatus eſt tribuere conſolationem videndi te, cultui ejuſdem devotum; poſtquam eruit te de viis ſæculi, ubi fallacem mundanorum felicitatem quærebas. Ecce extremus mihi finis advenit; & quid mihi ulterius faciendum reſtat in hoc ſæculo? ſatis beata ſi clauſero oculos meos omnibus objectis creatis, illos apertitura lumini, quod nobis repræſentat in cæleſti Sion Creatorem. Ama ſemper magnum hunc Deum, qui te tot beneficiis cumulavit; adora illum, eum time, neque obliviſcaris matris tuæ, quæ ſemper unice te dilexit, & cujus amor erga te tanto futurus eſt acrior, quanto defœcatior erit per flammam caritatis, quæ in Beatorum corde ſuccenſa eſt. Recordare potiſſimum maturare mihi momentum illud deſiderabile, efficiens ut pro me incruentum celebretur Agni ſacrificium, qui ſuum effudit ſanguinem, ut nobis cælum aperiret. Ad hæc verba anima ejus novo ardore ſuccenſa ſe ſe vinculis corporis expedivit, & ſe ſe ejaculata eſt verſus æternum ſanctorum habitaculum, ut in Domini gaudium ingrederetur, Auguſtinum relinquens eo dolore confectum, quo affici poterat tantæ parentis jactura. *P. Martineau.*

Qua in re præſertim Parentes imitari debeant S. Monicam.

Ad exemplum tantæ hujus Sanctæ parentes componere debetis filiorum veſtrorum curam, tamquam princeps officium veſtrum, ſæpe orantes pro illis, illos offerentes Deo, patienter ſuſtinentes moleſtias, quas inferunt vobis, & numquam deſperantes fore, ut ab erroribus ſuis reſipiſcant, iterumque in ſalutis vias revertantur. Reliqua opera bona, quibus vacatis, propter hoc vobis inſtituenda ſunt: vobiſque perſuaſum eſſe debet cetera omnia, quæ exercetis, pauperum viſitationes, infirmorum in xenodochiis curam, cœtus caritatis, ſpiritualia ac temporalia ſubſidia, quæ procuratis iis qui præ aliis miſeri, & derelicti ſunt; omnes has inquam uniones opera eſſe ſupererogationis; ſed præcipuum officium veſtrum eſſe vacare filiorum veſtrorum educationi. Videlicet veſtra caritas ad alia extendi non debet, niſi poſtquam hoc erga filios veſtros munere perfuncti fueritis. Hinc magnus Apoſtolus judicium cenſet ferendum de virtute, & ſanctitate viduæ, & hinc orditur quæſtionem de illius moribus, & vita; *Si filios educavit*; & ſi virtutes quæ exercentur, in officio adeo juſto obeundo, non admodum eniteſcunt; in remuneratione tamen ſolidiores ſunt, propiores ordini ſtatus veſtri, & illæ, quas potiſſimum a vobis Deus præſtolatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

1. ad Timoth. 5.

Munus, & corona quā Sancta Monica in Cælo recipit.

Dici poteſt admirabilis Monicæ coronam in cælis non unam fuiſſe, ſed ex omnibus aliis compoſitam, quoniam illa particeps fuit meritorum Sanctorum omnium, particeps fuit coronæ Apoſtolorum, quia ad fidem convertit primum quidem virum ſuum, mox & filium; poſſidet illam, quæ propria eſt viduarum, quia eo modo vixit, qui eſſe poſſet exemplo omnibus, quæ in eo ſtatu verſantur: domeſticæ afflictiones ex parte viri moroſi, ac violenti, & perſecutiones ſocrus, quas plures annos ſuſtinuit invicta patientia, inſignem illi promerentur locum inter eos, qui propter Deum paſſi ſunt invicta patientia; pax, quam quocumque ferebat, & quam in omnibus familiis ſtatuere ſtudebat, componens lites, & jurgia, atque contentiones extrudens, illi promerita eſt beatitudinem, quam pacificis promiſit Deus. Sed ſi qui alios erudierunt, & in juſtitiæ vias deduxerunt, fulgent in cælo, micantium inſtar ſyderum, ſancto ſpiritu teſte, quæ corona non debetur Sanctæ Monicæ eo quod primum Eccleſiæ doctorem ediderit, & quod illum fidei ſuæ luminibus illuſtraverit? Ita Auguſtinus, qui fuerat cauſſa dolorum, triſtitiæ, & laborum illius, mox fuit illi cauſſæ lætitiæ, gloriæ, & felicitatis. Hinc abunde reparatum fuit damnum curarum, quas illa geſſit in illius educatione, lacrimarum, quas ubertim effudit pro illius converſione, & laborum, quos pro ejus ſalute ſuſtinuit. Per eaſdem vias, Patres, Matreſque ad S. Monicæ exemplum voſmet ſanctificare poteſtis; curæ, quas geretis, dolores, quos patiemini ad filios veſtros educandos, erunt cauſſa veſtræ lætitiæ, materia coronæ veſtræ; verum curæ hujuſmodi vobis adhibendæ ſunt, ut educetis illos propter Deum & pro virili parte eos revocetis a flagitiis eorum, nihil prætermittentes, ut illos ad virtutem formetis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*